



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**


Liber LXXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)



HISTORIA  
ECCLESIASTICA.  
LIBER LXXI.



ALEXANDER III. PAPA.  
FRIDERICUS I. IMPERAT. OCC. MANUEL  
COMNENUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Initia Dissidii inter Regem Henricum  
& S. Thomam.*

**H**aud multum temporis effluxerat, ex quo Thomas Archiepiscopus Cantuariensis a Concilio Turonensi in Angliam rediisset, cum eum Henricus II. fastidire cœpit, & tandem usque adeo averfari, ut funestissimus inde Præsulis exitus ortum traxerit. Jurgiorum exordia

Sæcul. XII.

A.C. 1163.

*vit. quadrip.  
lib. I, c. 17.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1163.

*Radev. de  
Dicet. p.  
712. 60.*

*Matthæ.  
Paris. an.  
1163.*

ordia fuisse narrant, quod Thomas, cui Dignitas Archiepiscopi & Primatis in Anglia satis negotiorum imponebat, sigilla Regi, tunc in Normannia commoranti, remiserit, rogans, ut cuiquam alii officium Cancellarii committeret. Id Regem non parum offendit, scientem, quod Archiepiscopus Moguntinus in Germania & Archiepiscopus Coloniensis in Italia Imperatori officia Cancellarii præstarent, unde inferebat, hæc munera in Præsulibus conjuncta non repugnare, sed odium sui concepisse Thomam ideoque imperatum officium detrectare. At causa præcipua rixarum fuit quæstio mota de Jurisdictione Ecclesiastica.

Quidam Presbyter, homicidii accusatus, & comprehensus Episcopo Saresberienfi Diocesano suo traditus est, ne Clericorum privilegium læderetur. Quia vero non satis plene probabatur reus, jussit Episcopus ut se canonicè purgaret, & quia accusatus id præstare non poterat, Episcopus quid agendum esset Archiepiscopum Cantuariensem consuluit, qui Presbyterum, omni beneficio privatum & depositum Monasterio inclusit, perpetua pœnitentia crimen deleturum. Sub idem tempus, cum quidam Canonicus Bedfordiensis, Philippus de Broje, in Regios præfectos convicia jecisset, Rexque in omnes Clericos ira exarsisset,

ariffet, querela ad Archiepiscopum de-  
lata, iuffit, calumniatorem publice fu-  
fibus cædi, eumque a Ministerio Cleri-  
cali ad aliquot annos fufpendit.

Vifum eft Regi, id non fufficere,  
cumque Londini Archiepiscopum & E-  
pifcopos convocaffet, expofuit, ad com-  
primendam improborum audaciam, ne-  
ceffarium effe, ut Clerici, poftquam  
fuiffent deponiti, potefitati fæculari tra-  
derentur, & pœnam corporis fufține-  
rent. Archiepifcopus & Epifcopi vero  
affirmabant, iftud contra Canones & li-  
bertatem Ecclefiafticam pugnare. At-  
que Archiepifcopus obteftatus eft Re-  
gem, ne rem novam in Regnum fuum  
inveheret; fe enim hunc abufum tole-  
rare nec poffe nec debere. Tunc Rex,  
indignans concordiam omnium Epifco-  
porum fibi obfiftentium, quæfivit, an  
Confuetudines Regni fui fervare vellent,  
adjiciens, certe probro fibi futurum effe,  
fi ea, quæ omnes Præfules regnante Avo  
fuo fervaffent, fe vivo damnarent. Cui  
Archiepifcopus, expetito prius Fratrum  
fuorum confilio, refpondit; ipfos has  
Confuetudines fervaturos effe, falvo  
Ordine fuo, nempe falvis Epifcopatus ju-  
ribus. Hilarius autem Epifcopus Cice-  
ftriensis, cum videret Regis animum hoc  
refponfo magis exacerbari, fuo arbitrio  
dixit, fe has Confuetudines bona fide

*Hift. Ecclef. Tom. XVII.*

Gg fer-

Sæcul. XII.

A.C. 1163.

6. 19.

Sæcul. XII. servaturum esse. Sed Rex nihilo lenior,  
A.C. 1163. spreto Episcopo, ad Archiepiscopum ce-  
 terosque Præsules conversus, ait, con-  
 jurasse Episcopos contra Regem. Virus  
 latere sub his verbis dolosis, *salvo Ordine  
 nostro*, se igitur præcipere, ut simplici-  
 ter & sine addita conditione promitte-  
 rent, quod Regias Consuetudines serva-  
 turi essent. Reposuit Archiepiscopus:  
*Quando tibi, o Rex, fidem juravimus,  
 promissimus, quod tibi vitam, membra  
 & dignitatem tuam temporalem, salvo  
 nostro Ordine, conservare & tueri ve-  
 limus; nunc vero cum Consuetudines istæ  
 ad tuam dignitatem pertineant & in  
 ea comprehendantur, nolumus modo alia  
 formula, ac semel promissimus, ad eas  
 servandas obligari.* Cum nox appete-  
 ret, Rex fatigatus exiit ex aula, quem  
 multum iræ concepisse constabat, nam  
 discedens nullo signo Episcopos saluta-  
 vit. His quoque redeuntibus, Archi-  
 episcopus Episcopo Cicestriensi acriter  
 exprobravit, quod ipse solus formulam  
 promissi mutasset, in quam omnes con-  
 sensissent. Die sequente Rex, urbibus  
 & Feudis, quorum custodia Cancellario  
 Angliæ commissa erat, ab Archiepiscopo  
 receptis, clam ante diluculum Londino  
 abiit, cunctis haud immerito conjicien-  
 tibus, valde esse commotum.

Exinde

Exinde post breve temporis spatium Sæcul. XII.  
A. C. 1163.  
cum Arnoldus Episcopus Lexoviensis in  
Angliam trajecisset, rediturus cum Re-  
ge in gratiam, qua exciderat, suavit ei, ut  
conjunctos Episcopos Regni sui divide-  
ret, sicque Archiepiscopo vires & aucto-  
ritatem accideret. Quæ astutia opta-  
tum a Rege effectum produxit. Nam  
initio quosdam Episcopos sibi obnoxios  
reddidit, qui Regis, jam ante sibi infen-  
si, iram pertimescebant. Tum etiam a-  
lios sibi conciliavit, quibus potentissimo  
Principi resistendi constantia defuit.  
Itaque inscio Archiepiscopo polliciti sunt,  
se Regis voluntati obtemperaturos, pau-  
cosque, qui cum Archiepiscopo adhuc  
sentiebant, metus impediabat, ne publi-  
ce se se proderent. Rex quoque ut Ar-  
chiepiscopum sibi obsequentem efficeret,  
nec promissis nec blanditiis parcebat.  
Complures Optimates nihil intentatum  
relinquebant, ut Regnum & Sacerdo-  
tium reconciliarent, Præsulemque me-  
morem esse monebant, quanta beneficia  
a Rege accepisset, quantæ calamitates ex-  
jurgiis inter Primatem & Regem oritu-  
ræ essent, quanta imprudentia tot ho-  
minum salus extremo periculo expone-  
retur ob unum vocabulum. Nam de so-  
la illa clausula, *salvo Ordine nostro*, a-  
gebatur. Abbas Monasterii *de Eleemo-  
syna* inter alios Thomæ vehementer in-  
stabat,

Gg 2

stabat,

Sæcul. XII. A.C. 1163. stabat, dicens, a Summo Pontifice sibi demandatum fuisse, ut Archiepiscopum Regi obedientem efficeret. Atque Regem jurejurando affirmasse, in eo solo totius negotii cardinem verti, ut, qualicumque Archiepiscopi consensu accedente, honori Regio coram Regni Principibus consuleretur. Tandem Thomas Oxonium ad Regem se conferens promisit, se vocem illam, qua Rex tantopere offenderetur, mutaturum esse. Audito Archiepiscopo, Rex quidem delinitus videbatur, volebat tamen, ut Episcopi in Conventu publico, præsentibus etiam Principibus, promitterent, se Consuetudines esse servaturos.

## §. II.

*Ecclesia Germaniæ.*

*Dordeck.*  
*an. 1163.*

Fridericus Imperator, Festo Paschæ, quod hoc anno in diem vigesimam quartam Martii incidebat, celebrato, in die octava, illius mensis ultima, convocatis Principibus, Comitia Moguntiaë egit. Cives Moguntini ferme omnes auferant, memores, quid meriti essent, cæde Episcopi sui ante triennium perpetrata, pauci vero remanserant, quibus modicæ opes erant, & non nulli quibus Imperator veniam concesserat. Aliquis ex numero conjuratorum captus & capite plexus est. Abbas S. Jacobi in conspe-

*Sup. Lib.*  
*LXX.*

conspectum Imperatoris pertractus & Sæcul. XII.  
 accusatus inducias obtinuit, ut diceret A.C. 1164.  
 causam. Sed cum objecta diluere non  
 posset, ex Monasterio & tota provincia  
 ejicitur. Monachi in quadam domo in-  
 clusi sunt, unde aliqui per fenestras, alii  
 alia via, evaserunt. Ceteri abire jussi;  
 atque ita Officium Divinum in illo mo-  
 nasterio cessavit. Urbis mœnia, jubente  
 Imperatore, solo æquata, non ante, quam  
 regnante ejus successore, post annos tri-  
 ginta septem restaurata sunt. Anno se- *Id. 1200.*  
 quente, millesimo centesimo sexagesimo *Id. 1164.*  
 quarto, cum Conradus, electus Archie-  
 piscopus Moguntinus, Alexandro Papæ  
 se submisisset, Imperator indignatus, eo  
 e Sede sua pulso, Christianum antea ele-  
 ctum, in solium Archiepiscopale in-  
 trusit.

In Saxonia Geroldus Episcopus Ol-  
 denburgensis, impetrata a Duce Henri- *Hist. Archie-*  
 co Leone licentia Sedem suam Lubecam *pisc. Brem.*  
 transferendi, ibidem duodecim Præben- *p. 104.*  
 das & decimam tertiam pro Præposito *Helmold.*  
 fundavit. Deinde, Jus Decimarum a *lib. 1. c. 92.*  
 pud Holsatas introducere cupiens, ad  
 cives Burnhudenses Epistolam dedit, in  
 qua hoc debitum prædicat tanquam  
 præcepto Divino institutum, quo non  
 impleto, reliqua nihil prodesent. At  
 populus ille indocilis respondit, nunquam  
 se se huic jugo submissurum esse, sub  
 quo

G g 3



Sæcul. XII.  
A. C. 1164.

quo omnes Christiani ab Episcopis, maximam Decimarum partem in luxum convertentibus, opprimerentur. Qui vero hæc Clericis objiciebant (inquit Helmoldus Presbyter, illius ævi Scriptor) a veritate non multum discebant. Episcopus responsum ferox ad Ducem Leonem detulit, qui Holsatæ incolis præcepit, nisi se iratum sentire vellent, Decimas darent, exemplo aliorum populorum, quorum terræ necdum tamdiu colerentur, & bellorum turbinibus magis essent expositæ. Nihilominus pervicaces Holsatæ reponere ausi sunt; nunquam fore, ut Decimas, quas Majores sui nescivissent, darent. Male se, igne tectis subjecto, migrare e patria. Jamque Episcopo, Comiti, omnibusque advenis, Decimas persolventibus, perniciem machinabantur, patria flammis vastata in Daniam fugituri. Sed pessimis consiliis obstiterunt fœdera, inter Regem Daniæ & Ducem Saxonie renovata, in quibus promissum, alterum alterius transfugas non esse recepturum. Ergo Holsatæ Juri Decimarum se subicere coguntur & promittere, singulos patresfamilias imperatam frumenti copiam tradituros esse. Ecce vero, cum omnibus conditionibus conscriptis, jam sigillum apponendum esset, & Notarii unam auri marcam, pro more sibi debitam

tam, exigērent, Holsatæ indomiti nec obolum quidem se daturus clamarunt. Sicque pacta imperfecta relicta sunt. Bellum quoque postea recrudit, & intercessit obitus Episcopi, qui eodem anno millesimo centesimo sexagesimo tertio ex hac vita migravit.

## §. III.

*Conventus Clarendonensis.*

Anno sequente millesimo centesimo sexagesimo quarto, mense Januario ex eunte, Rex Angliæ Regnum convocat universum, ut in eo Conventu reciperentur Consuetudines, quod se facturos esse Clerici olim negaverant. Rex instantius exigebat; ut Archiepiscopus Thomas, quod Oxonii sibi promiserat, præstaret, & Consuetudines approbaret, nulla addita conditione, *salvo Ordine nostro.* Sed Archiepiscopus, timens, ne si Regi, quod petebat, concederetur, deinde nullum in usu consuetudinum modum teneret, eo adduci non poterat, ut consentiret. Interim Saresberiensis & Norwicensis Episcopi, qui antiquum Regis metuebant odium, inter lacrymas Archiepiscopum rogabant; Clericorum suorum misereretur, nec se ipsum carceri dari, viros Ecclesiasticos opprimi, ipsos ambos capitis damnari vellet. Sed & Comites duo Archiepiscopum aggrediebantur,

Sæcul. XII.  
A. C. 1164.

bantur, dicentes, nisi Regis voluntati acquiesceret, fore, ut ex Regis jussu ad inferendam ei vim compellerentur, quod Regi & sibi perpetuam irrogaret infamiam. Richardus quoque, Templariorum Magister, clarissimi nominis vir, tertio assultu urgebat Thomam; sibi cave- ret, & Ecclesiæ suæ commiseratione tangi se pateretur.

Cumque omnes denique ita plange- rent, tanquam in Archiepiscopi verti- cem vibratos gladios viderent, tandem aliorum consiliis cedens, & precibus fra- ctus, omnium primus se se obstrinxit, quod Consuetudines Regias servare bo- na fide vellet, nulla adjecta conditione. Junxit juramentum, & hæc se facturum in verbo veritatis spondit. Id ipsum in eadem forma sigillatim universi Pon- tifices juraverunt.

Illico quidam Proceres, quos hæc Consuetudines præ aliis scire oportebat, earum formulam dictare cœperunt, & plerisque jam conscriptis, videns Archiepiscopus, quod multas alias subjun- gere vellent, interlocutus dixit; se nec tam diu in Regno extitisse, nec in Archi- præsulatu, ut has Consuetudines plene cognoscere potuisset. Sibique videri tantum negotium differendum esse in crastinum. Placuit sermo omnibus, sta- timque in sua hospitia se receperunt.

§. IV.

*Consuetudines Angliæ.*

Altera die iterum cuncti conveniunt, conscribuntur Consuetudines Regiæ, in hunc ferme tenorem: *Anno ab In-* *Collect. L.*  
*carnatione Domini Nostri millesimo centesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Alexandri quinto, Illustrissimi Regis Angliæ Henrici II. decimo, eodem Rege præsentem, quædam pars Consuetudinum, Libertatis & Dignitatis Antecessorum suorum recepta est, quæ servari & stabiliri in toto Regno debent. Propter dissensiones igitur, & discordiam sæpe emergentem inter Clerum & Regis Præfectos ac Barones Regni, de hisce Constitutionibus ista acta sunt, præsentibus Archiepiscopis, Clericis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, & Regni Optimatibus. Nempe his consuetudinibus subscripserunt præcipui, nobilissimi & in Regno Seniores, Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, Rogerius Archiepiscopus Eboracensis, Gilbertus Episcopus Londinensis, Henricus Episcopus Wintoniensis, Nigelus Episcopus Elitanus, Guilielmus Normicensis, Robertus Lincolnensis, Hilarius Cicestriensis, Foscelinus Saresberiensis, Richardus Cestriensis, Bartholomæus Oxoniensis, Robertus Herfordiensis, David Menawiensis, &*

Sæcul. XII. *Rogerus Episcopus Vigorniensis.* Duode-  
 A. C. 1164. cim Episcopi præter duos Archiepiscopos.

Tum in Actis sequitur: *Viva voce, in verbo veritatis, Regi & Hæredibus ejus, bona fide, sine fraude promiserunt, quod has consuetudines servare velint, præsentibus Optimatibus, Roberto Comite Locestriensi, Renaldo Cornubiensi, Conanano Britannia, aliisque Proceribus.* Inde nominantur triginta novem. Et tandem leguntur consuetudines, de quibus sermo est, in sexdecim Capita diggestæ.

Primo, si lis oriatur de Patronatu, & Præsentatione in Ecclesiis, sive inter Laicos, sive inter Laicos & Clericos, causa in Curia Domini Regis tractetur & terminetur.

Secundo, Ecclesiæ de Feudo Domini Regis, absque ipsius concessione non possunt in perpetuum dari.

Tertio, Clerici quacunq; in causa accusati & moniti, ad Curiam Prætoris Regii veniant, ad ea, quæ videbuntur, responsuri. Et Regis Prætor in Curiam S. Ecclesiæ mittet, ut sciat, qua ratione causa ibi tractetur; si vero Clericus convictus fuerit, eum de cetero Ecclesia tueri non debet.

Quarto, Archiepiscopis, Episcopis, Virisque sua Dignitate conspicuis, absque licentia Domini Regis e Regno exire non licet. Si autem exierint, Regem  
 suo

fuo promiffo fecurum efficiant, fe in to- Sæcul. XII.  
 ta profectioe nihil acturos effe, quod A.C. 1164.  
 Regi vel Regno nocere valeat.

Quinto, Excommunicati non debent  
 cautionem præftare aut juramentum  
 quod remanere velint, fed folum quod  
 velint ftare Ecclefiæ iudicio, ubi abfol-  
 vuntur.

Sexto, Laici non debent accusari  
 coram Epifcopo nifi ab Accufatoribus  
 certis & legitimis, ita ut Archidiacono  
 nihil de fuo jure detrahatur. Et fi ta-  
 les fuerint rei, quos nemo velit vel au-  
 deat accusare, Vicecomes ab Epifcopo  
 requifitus duodecim viros illius loci ad  
 præftandum juramentum compellat,  
 quod fecundum fuam confcientiam ve-  
 ritatem manifeftare velint.

Septimo, Nullus, qui foli Regi subdi-  
 tur, aut fit ejus Præfectus, excommuni-  
 cetur, vel ejus Terra Interdicto subji-  
 ciatur, nifi prius Dominus Rex, fi in Re-  
 gno fuerit, moneatur, vel Regius Prætor,  
 fi ipfe extra Regnum verferetur, ut quod  
 iuftum eft pronunciet, atque ita, quod  
 ad Curiam Regis pertinet, ibi termi-  
 netur, & quod fpectat ad Curiam Ec-  
 clefiasticam ad eandem remittatur.

Octavo, fi occasio appellandi emer-  
 ferit, ab Archidiacono debet procedi  
 ad Epifcopum, ab Epifcopo ad Archiepi-  
 ſcopum, & fi Archiepiſcopus in exhi-  
 benda

Sæcul. XII. benda iustitia defuerit, postremo ad  
A.C. 1164. Dominum Regem perveniendum est,  
 ut ipsius præcepto in Curia Archiepiscopi  
 controversia terminetur; nec ultra  
 absque assensu Domini Regis proceda-  
 tur.

Nono, si lis exorta fuerit inter Cle-  
 ricum & Laicum vel e converso de qua-  
 cunque possessione, quam Clericus ad  
 rationem Eleemosynæ vel Laicus ad Feu-  
 dum Laicum trahere velit, Regius Præ-  
 tor, audita sententia duodecim arbi-  
 trorum legitimorum, quid placeat, edi-  
 cet. Si res ad eleemosynam pertinue-  
 rit, Placitum in Curia Ecclesiastica, si  
 ad Feudum, in Curia Regis pronuncia-  
 bitur. Nisi ambo beneficium istud ab  
 eodem Episcopo vel Barone teneant, quo  
 casu in ejus Curia res decidatur, ita  
 ut lite pendente, qui prius habuit, jus  
 possessionis non amittat.

Decimo, si quis de civitate, Castello  
 vel alia Regis ditione ab Archidiacono  
 vel Episcopo in causa alicujus delicti, de  
 quo respondere tenetur, citatus fuerit,  
 & venire noluerit, licet eum Interdicto  
 subjicere, sed non excommunicare, prius-  
 quam Prætor Villæ Regius convenia-  
 tur, ut eum ad satisfaciendum com-  
 pellat. Si Minister Regis officio suo de-  
 sit, Regi rationem reddet, & tunc Epi-  
 scopus

scopus accusatum Judicio Ecclesiastico Sæcul. XII.  
coercere poterit (\*). A.C. 1164.

Undecimo, Archiepiscopi, Episcopi, ceterique qui Feuda Regalia possident, habeant terras suas a Rege sicut Baroniam, inde respondeant Prætoribus & Ministris Regiis, sequantur & servent omnes consuetudines Regias, ac cum ceteris Baronibus Curie Regis & Judiciis intersint, usque dum ad mutilationem membrorum vel pœnam capitis perveniatur.

Duodecimo, cum vacaverit Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia, Prioratus in Dominio Regis, sit in manu ipsius, & inde omnes redditus dominico jure percipiat. Cumque vacanti Ecclesie providendum fuerit, præcipuos illius Ecclesie viros Rex convocabit, electio assentiente ipso Rege in ejus Capella fiat, & juxta consilium illorum, quos Rex nomine suo interesse jusserit. Ibiq; electus homagium ligans Regi præstabit, ante-

(\*) Ita quidem Fleurius vertit. Sed alius sensus apparet ex verbis ipsius Conventus vel Conciliabuli, ut in Actis Conciliorum Edit. Harduini legitur, ad annum salutis 1164. quæ ita sonant: *Et si minister Regis inde defecerit, erit in misericordia Regis: Et exinde poterit Episcopum ipsum accusatum ecclesiastica justitia coercere.*



**Sæcul. XII.** antequam consecratur, promittens, se  
**A.C. 1164.** Regis vitam, membra, & dignitatem ter-  
 renam esse tuiturum & conservaturum.

Decimo tertio, si quis de Proceribus Regni Episcopo vel Archidiacono petenti Justitiam administrare deneget, Rex ipse administret. Et si quis Regi jus suum deneget, eum Episcopi & Archidiaconi ad officium compellant.

Decimo quarto, Ecclesia res mobiles illorum, qui in Regem peccaverint, non retineat, etiamsi eæ in Ecclesia vel in cœmeterio inventæ fuerint, nam Regis sunt.

Decimo quinto, Actiones propter debita, sive aliquod juramentum sive nullum interpositum fuerit, in Curia Regis moveantur.

Decimo sexto, Ruricularum filii sine consensu Domini, in cujus territorio nati sunt, non ordinentur.

Hæc pars consuetudinum Angliæ Clarendonæ quatrduo ante Festum Purificationis, nempe die trigesima Januarii recepta est (\*).

§. V.

(\*) In Actis Conciliorum Consuetudines Angliæ bis leguntur, & in secunda lectione singulis articulis subjungitur, an Ecclesia Romana sub Alexandro Papa III. eum damnet vel toleret. Ceterum, studiosi Lectoris Juris Ecclesiastici

## §. V.

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.*Thomas datum consensum retrahat.*

Actis conscriptis, ab Archiepiscopo ceterisque Episcopis petiit Rex, ut ad majorem firmitatem sigilla sua apponerent. Verum Archiepiscopus, etsi vehementer doleret, dissimulans tamen, dixit, quamvis id facere statuissent, tanti momenti rem esse, ut merito aliqua mora interjicienda esse videretur, sicque post maturam deliberationem cuncta decentius perficerentur. Accepit etiam unum exemplar Actorum, Archiepiscopus Eboracensis alterum, & Rex tertium, quod in Tabulario Regio reponeretur. Ita discessit Thomas, Wintoniam petiturus. In itinere ortum est jurgium inter Archiepiscopi familiares, quorum aliqui

6. 22.

fistici periti iudicium sit, quantum hæ Consuetudines Angliæ nostris Constitutionibus congruant, quantum discrepent. Plane, si nostram Bavariam spectemus, Serenissimus Elector, per suum Consilium Ecclesiasticum, quod tum ex Clericis tum sæcularibus viris constat, causas Ecclesiasticas, si non sint pure spirituales, magna auctoritate definit. Atque etiam Ratiocinia de redditibus & expensis Ecclesiarum ruralium præsentem Prætore Electorali, cujus custodiæ hujusmodi census committuntur, iniuri debent.

Sæcul. XII.  
A. C. 1164.

liqui dicebant; pensatis adjunctis Archiepiscopum rem melius gerere non potuisse, sed cedendum fuisse tempori. Alii tristitiam profitebantur, quod Libertas Ecclesiastica ob unius hominis temeritatem periret. Ac istorum aliquis, qui Præsuli Crucem præferabat, ceteris vehementius indignabatur, quod omnia a potestate sæculari turbarentur, jamque illi soli magni æstimarentur, qui in gratiam Principis & fas & nefas admitterent. Et tandem adjecit: *O tristem Innocentiæ sortem! quis desertam tuebitur, quis defendet jacentem, postquam Dux ipse victus est? cujus virtutis in posterum studiosus erit, qui amisit constantiam?* Cui Archiepiscopus: *Quem petis bisce jaculis, fili mi! te ipsum, reponit Cruciger, te, inquam, qui bodie & conscientiam & famam tuam perditam voluisti, odio dignum posteris relinquent exemplum, cum manus sacras extendisti & consuetudines execrabiles servare promissisti.*

Tunc Præsul, altum suspirium ducens, *pænitet me, inquit, commissæ culpæ. Horreo factum, meque indignum officiis Sacerdotalibus existimo, nec ad Altare illius accedere audeo, cujus Ecclesiam mea ignavia prodidit. In silentio & luctu perseverabo, donec a Deo & Papa absolvi merear.* Exinde Thomas a Mini-

Ministerio Altaris se ipsum suspendit, Sæcul. XII. A.C. 1164.  
 ac in pœnitentiam jejunia & aspera ci-  
 licia sibi injunxit. Paucis postea ela-  
 pſis diebus, nuncios miſit, qui celeriter  
 ad Papam ſe conferrent.

Pontifex, qui tunc Senonibus verſa-  
 batur, cum reſponſo etiam Abſolutio-  
 nem Archiepiſcopo dedit, ſolatium ſug-  
 gerens & exhortans, ut officia Sacerdo-  
 tis repeteret, & boni Paſtoris munere  
 conſtanter fungeretur.

Contra vero Rex, ubi comperit, quod  
 Archiepiſcopus, quæ Clarendonæ pla-  
 cuerant, retractare nunc vellet, vidit-  
 que quod Acta ibidem conſcripta ſigillo  
 appoſito firmare, ſe præſente, recuſaret,  
 ira exardens, magnis exactionibus vexa-  
 re Præſulem cœpit, quin etiam eum vita  
 privaturus videbatur.

Itaque Archiepiſcopus intelligens, ſe  
 inter has turbas non poſſe Eccleſiæ ſuæ  
 prodeſſe, in Franciam navigare ſtatuit,  
 ad Papam iturus, & clanculum navem  
 conſcendit. Sed ventis adverſantibus  
 in Angliæ oram rejectus eſt. Cumque  
 ad aures Regis perveniſſet, Thomam ſe  
 inſcio ex Inſula ſolviſſe, multo acrius  
 commotus eſt. Inter hæc Rotruvius  
 Epicoſopus Ebroicenſis reconciliandis Re-  
 gis & Archiepiſcopi animis operam da-  
 bat, & Rege, niſi conſuetudines Regni  
 confirmarentur, conditiones omnes re-

6. 24.

*Hift. Eccleſ. Tom. XVII. Hh pel-*

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

pellente, Archiepiscopus missis ad Papam Nunciis in speciem rogavit, ut eas rata haberet, revera autem, ut Summum Pontificem in hoc negotio Judicem constitueret, onus suæ conscientiæ in sibi Præpositum effunderet, sicque Regem placaret.

At non sefellit Papam hæc industria, qui Consuetudines confirmare noluit; unde Rex videns, se hac via nihil efficere, perverſis quibusdam consiliariis usus, Jus Legationis in Anglia in Rogerium Archiepiscopum Eboracensem, veterem Thomæ æmulum, transferre molitus est. Negavit Papa id se concessurum esse, quod Ecclesiam Cantuariensem antiquo suo privilegio spoliare nollet. Cum vero Rex Legatos ad Alexandrum hac in causa secundo misisset, timens ne, si omnino nihil indulgeret, nimis exacerbaret Principis animum, & ipsi Thomæ noceret, Consuetudinibus constanter rejectis, Rogerium Legati Titulo donavit, sed additis hujusmodi conditionibus, ut ejus potestas prope ad nihilum redigeretur, quippe nec Thomam nec ejus Dicecesim novo Legato subjecit, & promissum exegerat, Literas Institutionis suæ non prius Rogerio esse reddendas quam ille iterum consensisset. Hæc dignoscimus ex Alexandri epistolis ad Thomam datis, quarum primæ dies quinta

I. ep. 4. 5.

quinta Martii Senonibus apposita est. Sæcul. XII.  
 In ista epistola & in quadam alia sequentia A. C. 1164.  
 monita Thomæ suggerit; caute & sapienter cum Rege ageret, nullam viam intentatam relinqueret, qua cum Principe suo in gratiam redire posset, sine libertatis Ecclesiasticæ detrimento. *Noli, inquit, quemcunque rigorem contra Regem vel Regnum adhibere, usque ad proximum Pascha. Tunc meliora nobis Deus concedet tempora, & ambo de hac causa magis tuto decernere poterimus.* Hic Alexander Antipapæ Octaviani fata prospexisse videtur. Scripsit quoque Papa Regi Angliæ, & gravi oratione hortatus est, ut Consuetudines suas Libertati Ecclesiasticæ adversas mitteret, memor, quam terribile Dei Judicium subiturus esset, & quam atroces pœnas Reges, qui Sacerdotii jura læserunt, sustinere coacti fuissent.

ep. 43.

ep. 42.

## §. VI.

*Diffidium inter Regem & Archiepiscopum recrudescit.*

Rex nihilominus, jure, quod competitere sibi credebat, usus, Clericos furti, homicidii, aliorumve criminum delatos in Judicio Prætorum suorum stare compellebat, convictosque deponi, ac Curia Laicæ tradi jubebat. Archiepiscopo autem pensanti, quid

vita c. 24.

H h 2

utri-

Sæcul. XII. utrique Foro liceret, non videbatur,  
 A. C. 1164. potestati sæculari quidquam juris esse in  
 Causis Ecclesiasticis, secundum illam Con-  
 stitutionem, *Si crimen est Ecclesiasticum,*  
 2. q. 1. c. 45. *causa in Judicio Episcopi discutatur,*  
 §. 2. Nov. 2. *& pœna secundum Canones infligatur.*  
 83. c. 1. *Ad forum autem aliorum Judicum de his*  
*cognoscere non pertineat.*

Ita loquitur Guilielmus Cantuariensis, qui præter alios vitam S. Thomæ scripsit. Nunc vero, Constitutionem istam, quam Guilielmus citat, etiam Gratianus de verbo ad verbum refert, ex Novella Justiniani excerptam, atque evidenter patet, quod agat de criminibus Ecclesiasticis, qualia sunt Simonia, Usura & alia, quæ Justiniani ætate non per Leges civiles, sed tantum per Canones erant prohibita. At præterea hæc Constitutio in Decreto Gratiani truncata est; nam in Autographo Imperator diserte dicit, quod si crimen sit civile, id est, ad forum Judicis sæcularis pertinens, ipse Judicium contra Clericum accusatum instruat, & si reus esse deprehendatur, curet eum ab Episcopo deponi, priusquam secundum Leges plectatur.

At Rex Angliæ nihil aliud intendebat. Contra Archiepiscopus existimabat, etiam ob crimina, a Legibus prohibita, contra Clericum actionem moveri non posse,

posse, nisi coram Judice Ecclesiastico; Sæcul XII.  
A.C. 1164.  
qui graviore pœna quam depositione  
in reum animadvertere non poterat.

Nec deinde reum pœna corporali puniendum esse, nisi id novo crimine perpetrato mereretur. Nitebatur vero Archiepiscopus illa Regula: *Non bis in idem*, timebatque, ne si Ecclesiastici duplicem pœnam sustinerent, deterioris conditionis, quam Laici, criminis rei, essent. Atque id ipsum magis magisque irritabat animum Regis, cui Episcopi non modo non obfistebant, sed ejus voluntati in cunctis parebant (\*).

Præterea nulla abibat dies, qua non furriones Regis aures fatigarent; Archiepiscopum Consuetudines, quas servare jurejurando promisisset, violare. Alii querebantur, quod ipsos, maxima,  
H h 3                      qua

(\*) Semper Principes Christiani, prout Reverentia Sacerdotii & Ordinis Ecclesiastici exigit, libentissime consenserunt, ut Clerici accusati & rei privilegio Fori gauderent. Sed quæri potest, an expediat, convictos & depositos potestati brachii sæcularis & pœnæ capitis subtrahi, ne Ecclesia præsidium Clericis raptoribus aut latronibus concedere videatur. Præsertim quia sæpissime improbi pœnas & censuras Ecclesiæ contemunt, & etiam Laici homicidæ, quamvis in foro Ecclesiastico excommunicationis censuræ subjaceant, non ideo tamen a pœna corporali & ultimo supplicio eximuntur.



Sæcul. XII.  
A. C. 1164.

qua in regno polleret auctoritate, abusus facultatibus suis spoliasset. Aulici vero, Thomæ æmuli, murmurabant, quod ingratiſſimus existeret, tot beneficiis a Rege cumulatus. Quin etiam Adversarii maledicentiæ veneno virtutes Præsulis & morum conversionem inficere conabantur. Amor Justitiæ crudelitas, & studium Ecclesiasticæ Libertatis avaritia dicebatur. Superbiam putabant, quod Sæculi honores contemneret, & solius Dei voluntati adherere se simularet, temeritatis vero incusabant, quod Sedi suæ majora, quam Antecessores ejus, privilegia tribuere auderet. Quidquid dicebat, agebatque, in malam partem invidi trahebant. Tandemque persuaserunt Regi, actum esse de ipsius potestate, si Archiepiscopi auctoritatem in dies crescere sineret, & nisi Reipublicæ consulere, nullum amplius in Anglia Regem futurum esse, quam talem, quem Clerici elegissent, & tamdiu solummodo regnaturum, quamdiu Archiepiscopo placeret.

## §. VII.

*Octaviani Obitus. Guido Cremensis Antipapa.*

*Collect.  
Lupi.  
I. ep. 7.*

Inter hæc Octavianum Antipapam, Lucæ ex morbo decumbentem mors abstulit, circa festum Paschæ, die Mercurii

curii post Octavam, vigesima secunda Sæcul. XII.  
 Aprilis anno millesimo centesimo sexa- A.C. 1164.  
 gesimo quarto, quem cum Canonici  
 Cathedrales, & ad S. Frigidianum in Ec- Act. Alexan-  
 clesiis suis sepelire recusarent, dicentes, dri. ap. Ba-  
 se potius ex Ecclesiis suis migraturos esse, ron.  
 quam passuros, ut corpus hominis, sua Otto de saint  
 opinione æternis flammis addicti, in iis Blaise. c. 18.  
 sepeliretur, in quodam Monasterio extra Gofr. an.  
 civitatem terræ mandatus est. Nihil 1164.  
 ominus vero Schismatici in vulgus spar- Otto Mo-  
 serunt, multa miracula ad ejus tumulum rena. p. 840.  
 patrari. Octavianus nomen Papæ annis  
 quatuor & dimidio gesserat. Oratorii  
 seu Capellæ ipsius supellex & equi ad  
 Imperatorem missi sunt, quippe præterea  
 nihil habebat. Duo tantum supererant  
 Cardinales ex illis quatuor, qui ejus  
 partes amplexi fuerant, nempe Joanes  
 S. Martini & Guido Cremensis. Hi  
 pertimescebant, ne, si Alexandrum Pa-  
 pam agnoscerent, ipse eos recipere nollet,  
 aut ab eo pari severitate haberentur,  
 qua olim Innocentius II. in Cardinales  
 Petri Leonis usus fuerat. Quare con-  
 vocatis ex Italia Germanique Schis-  
 maticis, qui ad exequias Octaviani du-  
 cendas advenerant, Cardinalem Guido-  
 nem Cremensem Papam elegerunt, &  
 Paschalem III. appellarunt, missisque il-  
 lico ad Imperatorem, tunc in Germania  
 commorantem, nunciis, hanc electio-  
 nem

Sæcul. XII. nem confirmari petierunt. Fecit ille,  
 A.C. 1164. quod optabant, dextraque super Evan-  
 gelium imposita juravit, se semper Pascha-  
 lem ejusque Successores pro legitimis  
 Pontificibus, Alexandrum vero ejusque  
 Sectatores pro Schismaticis habiturum  
 esse. Ad simile deinde jusjurandum om-  
 nes, quotquot potuit, Clericos eden-  
 dum compulit. Paschalis ab Henrico  
 Episcopo Leodiensi, die Dominica, vi-  
 gesima sexta Aprilis, ordinatus, Papæ  
 nomen annis tribus usurpavit. Verum  
 Alexander Papæ mortem Octaviani, cujus  
 animam æternum periisse credebatur,  
 amare deflevit, & quosdam Cardinales,  
 eo sublato, gaudentes corripuit.

*Act. ap.  
 Baron.*

Romæ Julio Cardinale, Episcopo  
 Prænestino, Alexandri Papæ Vicario,  
 fatis functo, Joannes Cardinalis Pres-  
 byter tituli SS. Joannis & Pauli subrogatus  
 est. Is suo hortatu majorem Romani  
 populi partem, magna pecuniæ vi, quam  
 Alexandro semper addicti contulerunt,  
 in multos sparsa, ad legitimum Ponti-  
 ficem reduxit. Pronum etiam est credere,  
 faciliores redditos fuisse Schismaticos,  
 Octaviano Antipapæ mortuo, & post-  
 quam Imperatoris auctoritas in Italia  
 vilescere cœpit, nam cum prima die  
 Octobris hujus anni millesimi centesimi  
 sexagesimi quarti ex Italia abiisset Fride-  
 ricus, Veneti initis fœderibus omnes  
 pœnæ

pœne Longobardiæ urbes ad arma  
 capienda commoverunt. Romani igitur,  
 addito jurejurando, promiserunt,  
 se Alexandrum Papam veneraturos,  
 alium Senatam ex viris Alexandro  
 faventibus constituerunt, Ecclesiam  
 S. Petri & Comitatum Sabinensem, quem  
 Schismatici armis Imperatoris occupa-  
 verant, in potestatem Vicarii Apostolici  
 redegerunt. Itaque, Urbe pœne tota  
 in partes Alexandri pertracta, Cardi-  
 nalis Vicarius, Clericis Laicisque Papæ  
 præ ceteris devotis ad Ecclesiam S. Joan-  
 nis in Laterano convocatis, Alexandrum  
 revocare statuit, Lagatosque, qui id  
 nunciarent, in Franciam misit. Papa  
 postquam hac de re cum Episcopis &  
 Cardinalibus, qui Senonibus apud ipsum  
 erant, deliberasset, licet multa præ-  
 videret obstacula, nihilominus Regibus  
 Franciæ & Angliæ, atque illius Regionis  
 Episcopis id suadentibus, Cardinali Vi-  
 cario rescripsit, se certo venturum,  
 statimque, quæ ad iter faciendum erant  
 necessaria, parare cœpit. In his ad-  
 junctis Archiepiscopus Rotomagensis  
 epistolam suam ad Episcopos & Abbates  
 provinciæ suæ dedisse creditur, in qua  
 hortatur, ut Summo Pontifici subsidia  
 darent, quibus familiam suam susten-  
 taret, cum jam spes esset, fore, ut  
 Romæ restitueretur, & extingueretur

Sæcul. XII.  
 A.C. 1164.

God. an.  
 1164.

ap. Petr.  
 Bles.  
 ep. 173.

H h 5

Schisma.

Sæcul. XII. Schisma. Conjicere licet, hunc Archi-  
 A. C. 1164. episcopum fuisse Hugonem, qui hoc  
 anno millesimo centesimo sexagesimo  
 quarto, in Festo S. Martini, undecima  
 die Novembris obiit, postquam Episco-  
 patum annis ferme triginta quinque  
 tenuisset. Ejus Successor fuit Rotru-  
 vius, prius Episcopus Ebroicensis, qui  
 Rotomagi annis novemdecim sedit.

Gall. Chron.  
 to p.  
 Sup. Lib.  
 LXX.

## §. VIII.

*Concilium Northamptonense.*

vita quad-  
 rip. 1. c. 25.

Rex Angliæ, contra Thomam Archi-  
 episcopum Cantuariensem acrius  
 commotus, eum præstituta die Nort-  
 hamptoni præsto esse jubet, quo etiam  
 omnes Antistites & Proceres Regni, edito  
 mandato, convocavit. Omnibus con-  
 venientibus Thomas Archiepiscopus ac-  
 cusatur, quod semel antea a Rege vo-  
 catus, ipse non venisset; & quamvis  
 probaret, quod virum idoneum, qui  
 pro se responderet, misisset, prolata ta-  
 men est Sententia; omnia Archiepiscopi  
 mobilia exinde Fisco Regio esse addicta.  
 Præsul, percepto hoc Decreto, *rem us-  
 que in hanc diem, inquit, inauditam!*  
*nec enim unquam aliquis Archiepiscopo-  
 rum Cantuariensium quacunque in causa  
 in judicio Curie Regis Angliæ stetit,  
 quod tam ejus Ecclesiæ quam etiam ipsius  
 personalis dignitas vetat, quia & Regis*

*& totius Regni Pater spiritualis est.* Hæc Sæcul. XII.  
 Sententia die Jovis octava Octobris anno A.C. 1164.  
 millesimo centesimo sexagesimo quarto  
 lata est, quam nulla alia Actio hujus Con-  
 ciliij præcessit.

Die altera Veneris, petiit Rex ab  
 Archiepiscopo, ut sibi centum libras ar- c. 26.  
 genti restitueret, quas ipsi, cum Can-  
 cellarius esset, mutuas dedisse ajebat.  
 Archiepiscopus affirmabat, eas sibi gratis c. 27.  
 fuisse donatas; quia vero id non probabat,  
 & accepisse fatebatur, ad restitutionem  
 damnatus est, & vadimonium consti-  
 tuere coactus, quod nisi fecisset, custodia  
 traditus fuisset. Die Sabbati, hujus  
 mensis decima, cum Archiepiscopus cum  
 suis Episcopis in conclavi, seris objectis  
 ex mandato Regis, ne ulli pateret exitus,  
 jubetur rationem reddere de multis re-  
 ditibus Ecclesiarum & Abbatiarum, quas,  
 cum vacassent, ipse tanquam Regni Can-  
 cellarius interim rexerat. Summa au-  
 tem totius pecuniæ, ducenta & triginta  
 millia marcarum argenti, erat. Nova  
 Præsulis vexatio omnes in admirationem  
 rapuit, multique indignabantur, quod  
 jam nihil superesset, quam Primatem  
 Angliæ vinculis dare. Ipse respondit,  
 consulturum se viros prudentes, cum-  
 que deinde præsentis Præsules, quid  
 factò opus esset, quærent, Henricus  
 Episcopus Wintoniensis, qui clam  
 Thomæ

Sæcul. XII. Thomæ favebat, dixit: *Cum ex Archidiacono & Cancellario, Thomas electus est Archiepiscopus Cantuariensis, a quocunque vinculo, quo Curia Regis alligabatur, absolutus est.* Idque, cum Decretum illud Regium ad omnes pervenisset, nullus Episcoporum negare poterat.

Tum singuli, quid sentirent, proferre cœperunt. Et Gilbertus Episcopus Londinensis, Decanus utique Cantuariensis Ecclesiæ \*, & idcirco in concilio post Archiepiscopum primus, dixit: *Si Pater, memor es, quantum Dominus Rex te evexerit, quanta tibi contulerit beneficia; si pensas, quantam ruinam Ecclesiæ Catholicæ, nobisque pares, dum Regi resistis, non Archiepiscopatum Cantuariensem modo, sed etiam centies majora dimittere deberes. Forsitan autem, si Rex te videret penitus sibi obnoxium, omnia benevole tibi redderet.* Deinde Henricus Episcopus Wintoniensis intulit: *Hoc consilium Ecclesiæ est perniciosum. Quia si Archiepiscopus noster & totius Angliæ Primas hoc nobis exemplum relinqueret, quemque Episcopum ad nutum & comminationem Principis suam Dignitatem & curam animarum dimittere debere, nihil amplius de jure, sed cuncta pro libitu & sine Regula in Ecclesia agentur.* Hilario Episcopo Cicestriensi & Bartholomæo Exoniensi eadem erat sententia ac Episcopo

\* Forte provinciae.

scopo Londinensi; necessitati temporum Sæcul. XII.  
 aliquid dandum esse. Tum Episcopus A. C. 1164.  
 Lincolniensis, simplex homo & minus  
 discretus, *patet*, inquit, *vitam bujus*  
*viri & sanguinem quæri; proinde alterum*  
*eorum erit necessarium, ut vel de Archi-*  
*episcopatu vel de vita cedat.* Tandem  
 Rogerius Vigorniensis ita temperavit  
 sermonem, ut, quamvis diceret, nolle  
 se consilium dare, satis tamen indicaret,  
 Archiepiscopum susceptam a Deo ani-  
 marum curam relinquere neutiquam  
 oportere.

His dictis, aliquamdiu in silentio  
 sederunt, & arte quæsitæ, ut exitum in-  
 venirent, inclusi enim erant, Archiepi-  
 scopus, *volo*, inquit, *loqui duobus Comiti-*  
*bus, qui cum Rege sunt*, eosque nomi-  
 navit. Vocati illi sine mora veniunt, qui-  
 bus Thomas: *Non habemus hic testes,*  
*quibus causa ista maxime nota est; quare*  
*usque in crastinum inducias petimus.* Ad  
 hæc Regi referenda Episcopi Londinensis  
 & Rosensis missi sunt, addiditque Epi-  
 scopus Londinensis suo motu; Archi-  
 episcopum aliquod temporis spatium sibi  
 postulare, ad præparanda instrumenta,  
 statuto die rationem redditurus. Nempe  
 Archiepiscopum ad eam reddendam ob-  
 ligare cupiebat. Sed negavit ille, id se  
 Londinensi in mandatis dedisse. Ita so-  
 luta est hæc Concilii Sessio. Cumque  
 omnes



Sæcul. XII. omnes discederent, milites nobiles alii-  
A.C. 1164. que, qui ingredientem Archiepiscopum  
 turmatim stipaverant, metu Regis per-  
 territi, exeuntem deseruerunt. At Prae-  
 sul, ut pro fugientibus se alios substi-  
 tueret, multis convocatis pauperibus  
 mensam sterni iussit.

S. Thomas  
 Cantuarien-  
 sis.

Sequente die, quæ erat Dominica,  
 nihil actum. Feria autem secunda, iterum  
 vocatur Thomas, & in Conventu ex-  
 peçtatur. Sed nocte præcedente passione  
 iliaca, qua sæpe laborabat, correptus  
 fuerat; crediderunt multi, valetudi-  
 nem simulari, ideoque missis secundo  
 ad se proceribus respondit: *Videtis, me  
 hodie ad Curiam venire non posse. Sed  
 cras ibo, aut certe aliorum manibus illuc  
 deferar.* Eadem die increbuit rumor,  
 nec defuerunt, qui istud ipsi Thomæ  
 denunciarent; si ad Regiam iret, fore  
 ut interficeretur, vel vinculis constringe-  
 retur. Quia vero necdum ad sustinen-  
 dum Martyrium satis animum collegerat,  
 secutus est monitum pii cuiusdam viri,  
 ipsi suadentis, ut altero mane Missam  
 votivam S. Stephani Protomartyris cele-  
 braret.

Die Martis tempore matutino Epi-  
 scopi, illo rumore consternati, ad Archi-  
 episcopum confluentes, hortantur, ut  
 simpliciter pareret Regis voluntati, nisi  
 in hac Curia perjurii accusari vellet,  
 quod

quod iuramentum Fidei Regi datæ violasset, cum Consuetudines recipere recusaret, peculiari iuramento ab ipso firmatas. Ille respondit: *Fratres mei! Mundus, ut cernitis, in hoc caput conjurat. Quod autem cor meum majore dolore obruit, vos ipsi, vos, inquam, contra me pugnatis. Etsi vero ego tacerem, futura Sæcula prodent, quanta ignavia me pro libertate omnium certantem destitueritis. Duobus consequentibus diebus judicatis me, Archiepiscopum & Patrem vestrum, & ex sermonibus vestris intelligo, vos me in Foro sæculari & in causa non civili modo, sed etiam criminali judicaturos esse. Verumtamen vobis omnibus in virtute obedientiæ, & sub pœna amittendi Ordinem vestrum prohibeo, ne Judicio, quod mihi paratur, interesse præsumatis. Quia autem timeo refractarios, ad Ecclesiam Romanam appello. Porro si Laici mihi manus injiciant, vos ad defensionem Archiepiscopi vestri (id enim districte præcipio) Censuras Ecclesiasticas intorquete. Denique, sciatis velim, licet fremat mundus, furat hostis, corpusque hoc in cineres redigat, Deo auxilium præstante, nunquam futurum, ut commissum mihi gregem deseram. Episcopus Londinensis statim contra hoc Archiepiscopi præceptum appellavit, omnesque eo relicto ad Aulam se contulerunt,*

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.  
tulerunt, duobus tantum exceptis, videlicet Henrico Episcopo Wintoniensi, & Joscelino Saresberienfi, ut clam solatium suggererent, & animum adderent.

Ubi Episcopi discesserunt, sine mora Thomas Ecclesiam intrat, Missam S. Stephani celebraturus, etiam Pallium gerens, quamvis non esset Festum solemne. Tum peracto officio, Pallio & Mitra depositis, servato autem reliquo cultu & Cappa Episcopali, ad Regiam pergit; & quia periculum suum non nesciebat, Eucharistiam secum secreto deferebat.

6. 30. Conclave ingressurus, ubi Rex præstolabatur, Crucem suam de manu eam sibi præferentis arripit, & intrat, sequentibus Episcopis. Roberto autem Episcopo Herfordiensi dicenti; *Sine, Pater,*

S. Thomæ  
constantia.

*ut ego Cruciger tuus sim,* respondit: *justius est, ut ipse manibus meis eam deferam. Hoc est præsidium meum, & hoc viso vexillo, non est dubitandum, sub quo Principe militem.* Tunc vero dixit Episcopus Londinensis: *Si Rex viderit te armatum intrare, gladium fortioverem exferet in caput tuum, & experieris, quid tibi prosint arma tua.* Cui Thomas: *Hæc Deo committimus.* Et Episcopus: *Ab hac stultitia tua, ut video, nec in posterum recedes.* Rex audiens Archiepiscopum cum Cruce sua venire, in proximum conclave se proripit, Thomas

mas vero solus ex una parte & Episcopi <sup>Secul. XII.</sup>  
 in adversa confident. Adest præco, <sup>A.C. 1164.</sup>  
 omnes Antistites & Proceres convocans,  
 exponitur Regis nomine grandis querela  
 contra Archiepiscopum, quod Regiam  
 ingressus esset portans Crucem suam,  
 ingenti Regis probro. Illico omnes Regis  
 causam tuentur, Præsulem damnant,  
 perfidum Popam, ingratum, perjurum,  
 scedifragum magno clamore appellant.

Circumstantes tremulus horror in-  
 vasit, & Rogerius Archiepiscopus Eboracensis  
 exiens ad duos Clericorum suorum, quos  
 ibi conspexit, ait: *Recedamus hinc; non oportet nos videre, quæ  
 hic Cantuariensi fiunt.* Tunc apparitores  
 cum suis baculis magno tumultu ex  
 cubiculo Regis descendunt, atque ex-  
 tensis brachiis & torvo vultu ad Thomam  
 conversi perniciem minantur, præsentibus  
 omnibus signo Crucis se munientibus.  
 Bartholomæus vero Episcopus Exoniensis  
 ad pedes Præsulis accidens ait: *Pater mi,  
 miserere nostri, tuique, omnes enim hodie  
 ex odio capitis tui perimus.* Namque  
 Edictum Rex edi jusserrat, ut quicumque  
 Archiepiscopo adhareret, hostis Reipublicæ  
 haberetur, capite plectendus. Præterea  
 Episcopi Saresberiensis & Norwicensis, qui  
 remanserant, statim ad supplicium trahendi  
 dicebantur & in membris mutilandi,  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XVII. li roga-*

Sæcul. XII. rogabantque Archiepiscopum, ut ipsos  
 A. C. 1164. salvos vellet. Ad Episcopum autem  
 Exoniensem Thomas, *fuge hinc*, ait,  
*quippe non sapis quæ Dei sunt.*

## §. IX.

*Thomas damnatur.*

Episcopi, Rege permittente, a Proceribus separati deliberabant, quid sibi  
 6. 32. faciendum esset. Extremæ premebant  
 angustia inter malleum & incudem pos-  
 tos; vel enim iram Regis experiri cogebantur, vel Archiepiscopum suum, Laicis Principibus juncti, in causa criminis damnare, quod ipsis contra Canones manifeste pugnare videbatur. Diu igitur multumque omnibus adjunctis in arduo negotio discussis statuerunt, Archiepiscopum ad tribunal Pontificis Maximi appellare, tanquam perjurii reum, Regi vero sancte promittere, quod omnibus viribus efficere vellent, ut deponeretur, si modo Rex ipsos nunc ad damnandum in judicio Archiepiscopum suum non compelleret. His ita constitutis, ad Thomam redeunt, & Hilarius Cicestriensis, nomine omnium, sermonem in hunc modum exorsus est: *Aliquando noster fuisti Archiepiscopus, & tenebamur tibi obedire. Sed quia Domino Regi fidelitatem jurasti, Dignitatem ejus per te salvam fore, & Consuetudines,*

tudines, quas hodie destructas vis, servare, idcirco te reum perjurii dicimus, & perjuro Archiepiscopo de cetero non obedi-  
 mus. Nos itaque & nostra tutela & præsidio Summi Pontificis tradentes, te ad ejus præsentiam appellamus. Tunc-  
 que Hilarius Thomæ diem præstituit. Quibus dictis Episcopi ex adverso ut prius confidentes diu silentium tenuerunt, præsentibus cunctis expavescentibus; nam cum Regem & Optimates ad judicandum Præsulem in alio conclavi deliberare scirent, nemo dubitabat, quin Thomas saltem in carcerem migrare juberetur, si tamen illa die majus malum effugeret.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1164.

c. 33.

Interea Principes coram Rege prolata sententia Thomam perjurum & proditorem declarant; cumque complures a Rege missi ad Præsulem venissent, Comes Leicestriensis ait: *Mandat tibi Rex, ut venias redditurus rationem super objectis. Alioquin audi latam contra te sententiam. Itane, latam contra me sententiam?* inquit Archiepiscopus, & de sede surgens adjecit: *Audi tu potius Comes, fili mi! Rex promovit me ad Archiepiscopatum Cantuariensem, quia multa obsequia utilissima ei præstiteram. Invitum vero evexit, Deus scit, & magis Regis quam Dei amore acquievi, cujus peccati hodie pœnas dare cogor. Verum-*  
 li 2 tamen,

Sæcul. XII. tamen, cum Henrico Principe & Ha  
 A.C. 1164. rede præfente, ac Rege iubente, eligeret,

Sup. Lib.  
 LXX.  
 §. 58.

quæsitum & responsum est, me liberum  
 & ab omni nexu curiali absolutum Ec-  
 clesiæ Cantuariensi tradi. Ergo super-  
 bis, a quibus liberatus sum, non teneor  
 respondere. Tunc Comes: Longe aliud  
 Episcopus Londinensis Regi suggessit. Et  
 rursum Archiepiscopus: Ad dicta mea  
 animum adverte, fili mi, quanto dignior  
 est anima quam corpus, tanto magis Deo  
 & mihi obedire teneris quam terreno  
 Regi. Nec Lex nec ratio permittit, ut  
 filii patrem judicent. Unde Regis, tuum  
 & aliorum declino iudicium, sub Deo solo  
 a Domino Papa iudicandus, ad quem vo-  
 bis omnibus audientibus appello, Ecclesia  
 Cantuariensi, Ordine & Dignitate mea,  
 omnibusque ad eam pertinentibus sub Dei  
 & Ecclesiæ Romanæ præsidio positus. Vos  
 quoque, Fratres Episcopi, & Collega  
 mei! quia magis homini quam Deo obeditis,  
 ad Domini Papæ iudicium voco, & sic  
 Catholicæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis  
 auctoritate munitus hinc recedo. Hæc  
 Sessio ultima habita est die decima tertia  
 Octobris.

Radev.

Archiepiscopum abeuntem sequun-  
 tur Aulici & invidi, contumeliis & in-  
 juriis tantum virum afficientes, & tan-  
 quam proditorem insectantes. Ubi au-  
 tem limina egressus est, tanta hominum  
 multi-

multitudo, petens Archipræsulis Bene-  
 dictionem, occurrit, ut vix equum regere  
 posset, præcipue pauperes clamabant:  
*Benedictus Dominus! qui eripuit & sal-  
 vum fecit servum suum.* Jam enim ex-  
 tinctus fuisse credebatur. Ita ad ho-  
 spitium suum, Monasterium S. Andreae  
 perductus iussit omnes pauperes ad-  
 mitti; unde domus & atria circumqua-  
 que ad mensam discumbentibus impleta  
 sunt. Thoma prandente, adsunt Epi-  
 scopi Londinensis & Cicestriensis di-  
 centes, se æquam pacis conditionem  
 invenisse; daret Archiepiscopus Regi  
 duos fundos Ecclesiae Cantuariensis pigno-  
 ris loco pro pecunia, quam exigebat.  
 Dixit Archiepiscopus: *Rex adhuc hodie  
 prædium aliud Ecclesiae Cantuariensis  
 retinet. Ego vero prius ultima patior,  
 quam consentiam.* Quod responsum ad  
 Regem delatum ejus furorem auxit.  
 Ceterum Archiepiscopo resciente illa  
 die lectio super mensam erat, de per-  
 secutione, quam Liberius Papa passus  
 est, in Historia tripartita; cumque et-  
 iam occurrerent illa verba Evangelii:  
*Si persecuti vos fuerint in una civitate,  
 fugite in aliam,* Thomas oculos in He-  
 bertum Doctorem subito conjecit; unde  
 is postea cognovit, quod jam tunc animo  
 constituisset, fugam arripere. Remotis  
 deinde mensis, Episcopos Vigornien-  
 sem,

Sæcul. XII.  
 A. C. 1164.

Sup. Lib.  
 XIII. §. 19.

Matth. 10.  
 23.



Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

fem, Herfordiensem, & Rosensem misit, ut ipsi licentiam e regno solvendi impetrarent. Qui responsum Regis attulerunt, eum postera die in Concilio hac de re deliberaturum.

## §. X.

*Thomas in Franciam fugit.*

Sub noctem duo ex Optimatibus principui Archiepiscopum adeunt, flentes largiter, & pectora sua percutientes; hi vero referebant, certo sibi constare, quod viri potentes, & secleri adsueti, jurejurando se obstrinxissent, se Thomam peremturos. Itaque amicorum monita Archiepiscopum permoverunt, ut fugam acceleraret, ne Ecclesiæ causa, necdum cunctis satis nota, desereretur. Cumque stratum sibi in Ecclesia S. Andree inter duo Altaria parari jussisset, in terram cum quibusdam suorum demissus Psalmos pœnitentiales cantare cœpit, tum etiam junxit Litanias, genuflectens, quotiescunque aliquem Sanctorum nominabat. Fatigatus cubitum concessit, simulans se velle acquiescere. Sed paulo ante galli cantum per fores posticas clam se proripuit.

Lib. 2. c. 1.  
Chr. Ger-  
vas. p. 1393.

Ubi altera dies illuxit, & vulgatum, quod Archiepiscopus fugisset, omnes, qui ipsi favebant, latebras quæsierunt. Rex autem consternatus, convocatis Epi-

Episcopis & Purpuratis, quid facto opus Sæcul. XII.  
 esset, interrogat. Statutum, ad Papam A. C. 1164.  
 nuncios mittere, qui Thomam perjurii

accusarent, & quod jurgia inter Regnum  
 & Sacerdotium excitasset, rebus omni-  
 bus interim intactis, quæ ad Archiepi-  
 scopum vel ejus Ecclesiam pertinerent,  
 usque dum Papa sententiam pronun-  
 ciasset. Ergo jubente Rege mandatum  
 editur; nemo Archiepiscopi familiari-  
 bus vel amicis molestus esse auderet, vel  
 Præfulis Bona invaderet. Et abjecta  
 omni mora Rogerius Archiepiscopus  
 Eboracensis, Gilbertus Episcopus Londi-  
 nensis, Rogerius Vigorniensis, Hilarius  
 Cicestriensis, & Bartholomæus Exoniensis  
 viæ se dederunt cum aliquot Clericis  
 familiæ Regiæ, & quibusdam Proceri-  
 bus, Regis nomine, missis, Papam adi-  
 turi. Magnus iter facientium erat comi-  
 tatus, ac pretiosa deferebant dona, qui-  
 bus Curiam Romanam corrumpere.

Interim Thomas Archiepiscopus per  
 vias obliquas pedibus procedebat, comi-  
 tantibus fugientem quodam viro Reli-  
 gioso Ordinis Sempringamensis, atque  
 Doctore Heberto Boscamensi, qui itineris  
 ducem se præbebat. Primum profici-  
 scientis hospitium fuit Lincolnia, unde  
 ad quemdam locum, qui *Cella Eremiti-*  
*colæ* dicebatur, Sempringamensibus sub-  
 ditum pervenit, ubi triduo commoratus

Sæcul. XII.

A.C. 1164.

c. 3.

est, ut exhaustas vires repararet. Inde nocturno semper itinere ad mare delatus, in die commemorationis animarum, secunda Novembris, conscensa scapha Bononiam appulit, cum tribus sociis. Pedes incedebat, indutus veste alba monastica, atque a comitibus suis frater Christianus nominabatur. Quia vero insuetus navigii malis, & itineri per pluvias & lutum faciendo erat, in terram tota corporis mole procumbens, *vel vestris me manibus portate, inquit, vel vehiculum quodcunque parate.* Illi equum capistratum sine sella & sine frœno ab homine agresti conducunt, ingestisque palliis suis Archiepiscopum imponunt. Paulo post occurrunt armati, quarentes, an ipse esset Archiepiscopus Cantuariensis? quibus cum ipse, constanti vultu, respondisset: *An putatis, isto cultu tantum Antistitem iter facere?* eum milites non cognoverunt.

c. 4.

Sub crepusculum Gravelinam divertit, mensæque accumbit infra tres socios suos, qui ei ultimum semper locum dabant; nam cuncta de industria ita agebant, ut Thomas inter ipsos minimus videri posset. Nihilominus notavit illius hospitii Paterfamilias, Thomam & eximia specie & morum decore inter suos eminere. Quippe Archiepiscopus justam acceperat a natura statu-

ram,

ram, frontem apertam, oculos ad seve-  
 ritatem compositos, vultum oblongum,  
 manus magnas & candidissimas, quibus,  
 licet pauci illati fuissent cibi, aliquam  
 partem infantibus & domesticis porrige-  
 bat. Fama igitur Præsulis fugam vul-  
 gante, ædium dominus, cum ista in ho-  
 spite observasset, uxori secreto ad se vo-  
 cata indicat, quid suspicetur. Mulier,  
 moræ impatiens, triclinium intrat, &  
 Thomam aliquoties intuita, ad maritum  
 rediens & subridens ait: *Profecto ipsis-  
 simus est.* Tum celeriter nuces, poma,  
 caseum afferens, cuncta Fratri Christia-  
 no apponit, repugnanti, quod lautius ha-  
 beretur. Post cœnam paterfamilias ac-  
 cedens, &, licet rogaretur lateri asside-  
 re, ad ejus pedes acquiescens, dixit:  
*Gratias Deo ago, Domine! quod ad me  
 præ aliis divertere volueris.* Cui Præ-  
 sul: *Quis vero ego sum, nisi exilis fra-  
 ter Christianus?* Reposuitque ille: *Quod-  
 cumque demum nomen tibi tribuatur,  
 scio tamen, te esse Archiepiscopum Can-  
 tuariensem.* Tunc vero Præsul, eum  
 personam dissimulare non posset, homi-  
 ni blanditus, ne se proderet, eum alte-  
 ra die itineris comitem accepit.

Porro Thomæ metuendæ erant infi-  
 diæ, non solum Philippi de Alsatia Co-  
 mitis Flandriæ, sed etiam ejus Fratris,  
 Matthæi Comitis Bononiæ, qui, nati ex

li 5                      matre

Sæcul. XII.

A C 1164.

6. 5.

Sæcul. XII. A. C. 1164. matre Sibilla Andegavensi, patruelis Regis Angliæ erant. Namque Henricus Rex Philippo & Optimatibus Flan- driæ perscripserat, Thomam more pro- ditorum e regno suo aufugisse. Comes autem Bononiæ quamdam Abbatissam, Stephani Regis filiam, duxerat, Thoma frustra refragante, qui cum illo tempore Cancellarii munere fungeretur, nullum non moverat lapidem, ut sacrilegis nu- ptiis obstaculum poneret. Ergo Gra- velina, antequam illucesceret, relicta, Archiepiscopus iter duodecim leucarum pedibus per viam lutosam & lubricam emensus, ad Monasterium Cisterciense *Clairmarais* prope Oppidum S. Audemari pervenit. Ecce autem, eadem die Præsules, a Rege Angliæ ad Papam missi, ad Oppidum S. Audemari advehuntur; quare Archiepiscopus ipsa nocte de mo- nasterio post matutinos se proripiens ad Cellam Eremicolarum S. Bertini se recepit, ibique triduo delituit. Tum ab Abbate & monachis rogatus ad Mona- sterium S. Bertini venit.

Inter hæc Regis Angliæ Legati, ad Regem Franciæ, Compendii diversan- tem, admissi, Domini sui literas reddunt, in quibus dicebat, Thomam, olim Ar- chiepiscopum Cantuariensem, læsæ Ma- jestatis reum e Regno erupisse, roga- batque Ludovicum, Dominum suum, ne profu-

profugum in terras suas reciperet. Rex Sæcul. XII.  
 Franciæ verba illa: *olim Archiepiscopus*, A.C. 1164.  
 admiratus, quæsit, quis eum deposuis-  
 set? adjecitque: *sane & ego aque Rex*  
*sum ac Rex Anglorum, & nihilominus*  
*nec minimum Clericorum in Regno meo*  
*deponere possum.*

## §. XI.

*Thomas a Ludovico Rege benigne*  
*excipitur.*

Hebertus Boscamensis, & quidam alius  
 ex Archiepiscopi sociis, vestigia E- 6. 7.  
 piscoporum, a Rege Angliæ missorum,  
 id nescientium, sequebantur, profectio-  
 nem suam ita temperantes, ut illi semper  
 unius diei itinere præcederent. Cum  
 ergo Hebertus quoque & ejus comes per-  
 venissent ad Franciæ Regem, qui Tho-  
 mam ex eo jam tempore, quo Cancellari-  
 ii officium obierat, noverat, & maximi  
 faciebat, interrogavit, an ad Familiam  
 Archiepiscopi pertinerent, idque affir-  
 mantes osculo dato de more salutavit,  
 & propenso animo, quid peterent, audi-  
 vit. Illis deinde, quanta Archiepisco-  
 pus tulisset, & quam propinquam effu-  
 gisset perniciem, ut jussi fuerant, narra-  
 tibus, optimæ indolis Rex tenero com-  
 miserationis affectu commotus, vicissim  
 retulit, quid sibi Rex Angliæ, Præsuli ira-  
 tus,

Sæcul. XII. tus, scripssisset, & quid ipse respondisset.  
 A.C. 1164. Et addidit: *Priusquam virum, amicum  
 suum, & in tanto dignitatis Ecclesiasti-  
 cæ fastigio positum, crudeliter haberet  
 Rex vester, memorem esse oportuisset il-  
 lius versiculi: irascimini & nolite pec-  
 care. Cui alter Legatorum respondit:  
 Forsan memor fuisset, si tam frequenter  
 ac tu, o Rex, officio Divino, in quo de-  
 cantatur, interfuisset. Subrisit Rex, &  
 altera die, suis ad consultandum convo-  
 catis, Archiepiscopo Cantuariensi pacem,  
 & in regno suo securitatem concessit.  
 Tum Legatis ad Præsulem redituris di-  
 xit: *Ad antiquam Regni Franciæ Di-  
 gnitatem pertinet, quod viri, exilio male  
 damnati, præsertim Ecclesiastici, in hoc  
 Regno præsidium & tutelam nanciscan-  
 tur.**

## §. XII.

*Legati Angliæ coram Pontifice.*

c. 8. Legati Archiepiscopi, re feliciter gesta,  
 ut quæ sibi mandata fuerant exseque-  
 rentur, Senones ubi Papa sedebat cele-  
 riter perrexerunt, quo Regis Angliæ Le-  
 gati pridie pervenerant. Post eorum  
 adventum complurium Cardinalium a-  
 nimos partim spes lucri, partim timor,  
 ne Rex iratus rem Ecclesiasticam turba-  
 ret, suspendit. Dicebant aliqui, Tho-  
 mam libertatis Ecclesiasticæ columnam  
 existe-

existere, justam causam defendere, & Sæcul. XII.  
A.C. 1164.  
 æquitatem postulare, ut eum omnes tue-  
 rentur. Aiebant alii, turbulenti inge-  
 nii hominem esse, cujus molimina repri-  
 mi oporteret. Tanta præsumptionis  
 contra Thomam vis fuit, ut ejus Legati  
 ne quidem ad osculum pacis a Cardi-  
 nalibus admitti fuerint. Attamen ipsa  
 qua advenerunt die sub noctem con-  
 spectum Papæ subire licuit, qui benevo-  
 las aures præbens, cum Archiepiscopi  
 calamitatem exponerent, lacrymas non  
 tenuit, dicens: *Dominus vester, ipse sibi  
 superstes, Martyrii palmam adeptus est.*  
 Nocte autem procedente Benedictionem  
 suam discessuris impertitus ad suum ho-  
 spitium peramanter habitos dimisit.

Altera die Papa cum Cardinalibus,  
 qui ferme omnes in ejus Curia aderant,  
 Conventum celebrat. Vocantur u-  
 triusque partis Legati, tumque Gilber-  
 tus Episcopus Londinensis pro Regis  
 Angliæ causa sermonem exorsus est in  
 hunc modum: *Ad te, Sancte Pater!  
 cura Ecclesiæ Catholiciæ spectat. Tuum  
 est probos tueri, & coercere temerarios.*  
*Nata est pronuper in Anglia inter Re-  
 gem & Sacerdotium divisio, levi ex causa,  
 quæ facile fuisset sublata, nisi modera-  
 tio animi abfuisset. At Dominus Ar-  
 chiepiscopus Cantuariensis, inflexibili  
 suo arbitrio inhaerens, nostro omnium  
 consilio*



Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

Prov. 28.

*consilio contento, pacis reducendæ viam obstruxit, nihil tempori dandum ratus, & nulla ingentis mali, quod inde secuturum erat, ratione habita. Cum ergo non in suam sententiam pertrahere non potuisset, culpam in Regem, in nos, in totum Regnum rejecit, atque ut majorem nobis conflaret invidiam, aufugit ex regno, nemine ipsi vim inferente, imo ne quidem malum comminante; nempe ut scriptum legitur: fugit impius, nemine persequente. Parcus ista! intulit Pontifex, & Episcopus Londinensis: Cur vis, ut ipsi parcam? Iterumque Pontifex: Non volo, ut ipsi, sed ut tibi ipsi parcas. Hilarius Episcopus Cicestriensis in eundem sensum ac Londinensis locutus est, & Rogerius Archiepiscopus Eboracensis addidit: Nemo me melius Archiepiscopi Cantuariensis inexpugnabile ingenium novit; quod semel amplexus est, vix unquam dimittit, nec aliud remedium huic viro emendando perspicio, quam si severe & constanter tuam auctoritatem, Sancte Pater, interponas. Bartholomæus Episcopus Exoniensis adjecit: Hæc causa, Archiepiscopo Cantuariensi absente, finire non potest; proinde Legatos petimus, qui eam terminent.*

Cum deinde Comes Arundeliæ, qui cum multis Proceribus præsens erat, audiri petiisset, *Nos viri literarum expertes,*

*pertes, inquit, nescimus, quid dixerint* Sæcul. XII.  
*Episcopi.* (Qui nempe latine locuti A.C. 1164.  
 fuerant) *Itaque nobis etiam, ut possumus,*  
*causa legationis nostræ exponenda est.*  
*Non venimus disputaturi, aut injuriam*  
*cuiquam hominum illaturi, præsertim*  
*quia coram illo locuturi sumus, cui de*  
*jure omnes mortales subditi sunt (\*). Sed*  
*missi,*

(\*) Ein auserlesenes Zeugniß der Gewalt  
 des Pabstes über alle Christen, aus dem Munde  
 eines Englischen Grafens, welcher nämlich mit der  
 ganzen Christenheit im zwölften Jahrhundert er-  
 kannte, daß in der Kirche Christi ohne sichtbare  
 und allgemeine Oberhirten, welches nach dem na-  
 türlichen Verstande der Schrift: *Pasce oves meas.*  
 Joann. 21. die Nachfolger Petri auf dem römi-  
 schen Stuhle sind, keine Einigkeit könne erhalten  
 werden. Ja nebst dem Zeugnisse aller Jahrhun-  
 dert lehret es auch die Erfahrung, daß diejenigen,  
 die sich von der Einigkeit der römischen Kirche  
 entrissen, ihrer Religion keine Gränzen mehr zu  
 setzen wissen. Gleichwie solches besonders von  
 England Voltaire anrühmet, weil die edle Frey-  
 heit zu denken, zu reden, und zu schreiben was man  
 will, und sich an eine geoffenbarte Religion zu  
 binden oder nicht, in diesem Reiche herrschet.  
 Herr Voltaire ein geböhrender Katholik vermeh-  
 ret auch selbst die Anzahl dererjenigen, welche durch  
 ihre Unsinnigkeit darthun, daß wenn man von der  
 römischen Glaubenslehre abgeht, man endlich an  
 keine Schrift mehr, an keinen Himmel, keine Hölle  
 glaube,

Sæcul. XII. *missi sumus, ut tibi, Sancte Pater! obedi-*  
 A.C. 1164. *dientiam & amicitiam Regis nostri of-*  
 fere-

glaube, sondern aufs höchste an einen solchen Gott, der uns nichts gleichwie wir ihn auch nichts an geben, und der sich den Menschen niemals geöffnet hat.

Man hat es der Mühe werth geachtet, den Voltaire in einer ans Licht gestellten Schrift *Oracle des nouveaux Philosophes* 1760. A Bern. zu widerlegen. Allein der Mann ist einmal nur Lacheus- und Verachtungswert. Voltaire ist ein zwar anmuthiger französischer Dichter, aber in keiner Art der Wissenschaft gegründet. Es ist in seinem Lehrgebäude kein Zusammenhang, er widerspricht sich selbst. Die Hölle ist ihm zu heiß und dauert ihm zu lang. Er meynt, ewig strafen sey nicht Gottes sondern eines Tyrannen Werk. In seinem Buch *Henriade* erscheint der heilige Ludwig, König in Frankreich, dem König Heinrich dem IV. und berichtet ihn, daß es keine Hölle gebe. Er glaubet die Materie könne denken, und der Mensch sterbe wie ein Hund mit Leibe und Seele. Er saget, wie die Manichäer, in dieser Welt sey nicht alles gut und recht erschaffen, denn es hätte vieles können verbessert werden.

Der ehemalige grosse Minister in Frankreich Cardinal Fleury hat dem Voltaire einen hosiichen Befehl zustellen lassen, Frankreich zu räumen, und sich ja nicht mehr zu bemühen dahin zu kommen. Er geht zum König in Preussen, dem er in seinen Versen

feramus, quod ut decentius fieret, viros Sæcul. XII.  
 in toto Regno suo maximos delegit. Is A.C. 1164.  
 etiam sub initia Pontificatus tui haud Comes  
 ambiguae fidelitatis suae documenta dedit; Arundeliae.  
 unde credimus, nullum in orbe Christia-  
 no Principem inveniri posse, cujus magis  
 sincera Religio, aut majus pacis conser-  
 vandæ, in omnibus quæ ipsum tangunt,  
 desiderium sit. Sed & Archiepiscopum  
 Cantuariensem prudentia commendat &  
 discretio, nisi quod aliquibus in amore  
 scrutandi res subtiles nimius videatur.  
 Denique si modo dissensio inter Præsulem  
 & Regem orta non esset, beate vivere sub  
 tam bono Principe & tam bono Pastore  
 posse-

Werfen grosses Lob beygelegt, weil sich dieser Fürst nicht bekümmert ob jemand einer geoffenbarten Religion zugethan sey oder keiner. Und siehe, er wird auch von Berlin, allwo man nicht fraget, was einer glaubet, sondern nur ob er ein honête Homme ist, gnädigst weg geschaffet, und ziehet nach der Schweiz. Das giebt ein schlechtes Vorurtheil von der Ehrlichkeit des Herrn Voltaire. Kurz, Voltairs Schriften tangen zu nichts, als seine Leser zu verderben, und die gelehrte Monatschrift zu Leipzig mit Auszügen, sonderlich wenn er die ganze Christliche Religion und die römischen Päbste meisterlich verhöbnet (denn die lutherische Censur thut diesen Herren nichts) zu schmücken und gar anmuthig zu machen.

*Hist. Eccles. Tom. XVII.*

K k

Sæcul. XII. *possemus. Supplices proinde te rogamus,*  
 A. C. 1164. *ut reducenda inter nos paci studeas.* Co-  
 mite hæc in lingua patria elocuto, om-  
 nes modestiam viri & moderationem  
 laudarunt.

Papa jam antea litis causam edoctus,  
 Regiis Legatis edixit; se nihil de hac  
 re posse decernere, Archiepiscopo Can-  
 tuariensi absente. Sed illi venturum  
 expectare volebant, *non enim, aiebant,*  
*ultra temporis spatium a Rege præscri-*  
*ptum in Curia Papali versari nobis licet,*  
 urgebantque mitti Legatum, qui cau-  
 sam in Anglia definiret. Negotium A-  
 lexandro Papæ videbatur inextricabile,  
 res erat cum Rege juvene & potente,  
 timebatque, ne si, quod petebat, dene-  
 garetur, ad Schismaticos deficeret;  
 quod etiam ejus nuncii, præsertim Lai-  
 ci, minabantur futurum. Contra eo ad-  
 luci non poterat Pontifex, ut statueret  
 Archiepiscopum in Regnum remittere,  
 in quo Reipublicæ hostis credebatur, &  
 unde non sine prodigii specie effugerat.  
*Numquid, aiebat, mittam Sacerdotem*  
*captivum & vinctum cum victore suo ar-*  
*mis iniquis pugnaturum?* Molestiam au-  
 gebant Cardinales, quorum plerique,  
 assueti Regibus velificari, dandum esse  
 aliquid Regis precibus affirmabant. Tan-  
 dem Papa, firmus persistens in propo-  
 sito, nihil adversus Archiepiscopum ab-  
 sen-

sentem statuit, & Legati Regis moram Sæcul. XII.  
 non ferentes, dum veniret, nulla acce- A.C 1164.  
 pta a Papa Benedictione in Angliam na-  
 vigarunt. Quin etiam tanta quanta pot-  
 erant celeritate Franciam fugerunt, in  
 qua tuto degere vix poterant, tum quod  
 rumor sparsisset, ipsos ingenti auri vi-  
 onustos proficisci, tum quod omnium  
 ordinum homines Archiepiscopo fave-  
 rent. Papa vero sententiam Northam-  
 ptoni contra Thomam, ab Episcopis &  
 Baronibus Angliæ latam, nullam esse de-  
 claravit.

I. ep. 49.

## §. XIII.

*Thomas in conspectu Papæ.*

Inter hæc Thomas ex Monasterio Ber-  
 tinensi profectus, Abbate illius loci &  
 Milone Episcopo Teruanensi comitanti-  
 bus, Sūessionem deducitur. Altera die  
 Rex Ludovicus advenit, & comperto,  
 Archiepiscopum in illa urbe versari, ad  
 ejus hospitium pergit, & de equo descen-  
 dens prior Præsulem invisere dignatur.  
 Latitiam deinde professus, quod tantum  
 virum in Regno suo conspiceret, securi-  
 tatem promisit, quin etiam omnia neces-  
 saria a sua liberalitate accipere prope-  
 modum rogavit. Inde post paucos dies  
 discedens Thomas, Regiæ Familiæ Do-  
 mesticis præsidium præstantibus, Seno-  
 nes ad Papam pervenit. Tepide quidem

6. 10.

K k 2      exce-

Sæcul. XII.  
A. C. 1164.

exceptus est a Cardinalibus, sed introductus est ad conspectum Papæ, qui, in tanta calamitate Præsuli condolens, eum altera die præsentibus Cardinalibus exilii sui causam exponere iussit. Omnibus igitur convocatis, cum Thomas primus a Papa sedens, surgeret ad dicendum, iussus est sedens loqui. Et ille: *Quamquam sapientiæ laudem non affecto, non tamen usque adeo fatuus sum, ut ob rem levis momenti Regem meum & regnum fugiam. Nam si Regis voluntati simpliciter morem gerere vellem, nemo non in Anglia meam veneraretur potentiam, nec ullo conciliatore mihi opus esset, qui me in Regis gratiam reduceret. Verum quia Ecclesiæ Cantuariensis splendor nostra ætate obfuscatur, mille mortis genera, si tot occurrerent, libentius exciperem, quam mala quæ patitur dissimularem. Porro vestris oculis, quid rei subsit, explore.* Tum Scriptum producens, in quo Consuetudines legebantur, cum lacrymis dixit: *Ecce, quæ statuit Rex Angliæ contra libertatem Ecclesiæ Catholicæ. An hæc sine dispendio anime silentio præterire liceat, vos videritis.*

Consuetudinibus perlectis, nemo lacrymas tenuit, iique etiam qui prius adversabantur, jam una voce affirmabant, in persona Archiepiscopi Cantuariensis universali Ecclesiæ succurrendum esse.

Domi-

Dominus vero Papa lectis & diligenter Sæcul. XII.  
 attentæque relectis singulis capitulis, a- A. C. 1164.

cerrime motus, Archiepiscopum dure  
 increpat, quod cum ceteris Episcopis  
 consensisset, & inquit: licet nihil boni  
 in his capitulis occurrat, quædam tamen  
 Ecclesia utcunque posset tolerare, sed  
 pleraque antiquis Conciliis & constitu-  
 tionibus Ecclesiasticis repugnant. Tum  
 ad Archiepiscopum conversus ait: *Te-  
 cum vero, Frater, lenius agendum est,  
 quia mox post casum resurgere conatus es  
 & nostræ absolutionis beneficium accepi-  
 sti, quod tibi eo libentius nunc quoque  
 impertimur, quanto majora pro Eccle-  
 sia reliquisti, & graviora perpeffus es.*

Sup. n. 5.

Postera vero die, Papa & Cardinali-  
 bus in secretiore conclavi residentibus,  
 cum intrasset Thomas, ait: *Gemens fa-  
 teor, quod has Ecclesiæ Anglicanæ tur-  
 bas mea culpa suscitaverim. Ascendi in  
 ovile Christi, sed non per ostium, & a  
 terrore publicæ potestatis intrusus, etsi  
 invitus. Verum si ad Regis commina-  
 tionem, ut Collegæ mei suadebant, Epi-  
 scopatum abjecissem, Catholicæ Ecclesiæ  
 perniciosum exemplum reliquissem. Nunc  
 vero cognoscens ingressum meum minus  
 Canonicum, timens ne sequantur deterio-  
 ra, & sentiens vires meas oneri impares,  
 id ipsum vobis præsentibus ago, & in ma-  
 nu tua, Sancte Pater, Archiepiscopa-  
 tum*

c. 12.

S. Thomas  
 resignans.

K k 3

tum



Sæcul. XII. *tum Cantuariensem resigno.* Moxque  
 A.C. 1164. annulum digito suo detrahens rogabat  
 Papam, inter obortas lacrymas, ut huic  
 Ecclesiæ digniorem Pastorem præficeret.  
 His verbis Thomas ad collacrymandum  
 cunctos compulit.

Thoma deinde secedente, Papa de  
 his cum Cardinalibus conferre cepit.  
 Quidam sentiebant, oblata occasione,  
 Regis iram facilius sedari posse, si alius  
 Ecclesiæ Cantuariensi Archiepiscopus  
 daretur, & Thomæ aliud Beneficium,  
 quod quiete obtinere posset, conferre-  
 tur. Alii existimabant, rationi non con-  
 sentire, quod is, qui non solum divitias  
 & gloriam, Dignitatem Auctoritatem-  
 que, sed & vitam pro libertate Ecclesiæ  
 summo discrimini exposuisset, ad Regis  
 libitum jure suo privaretur. Dicebant,  
 ceteris Episcopis proponendum esse ex-  
 emplum Regibus resistendi in simili cau-  
 sa. Timendum enim, ne Thoma Archi-  
 episcopo cadente, nemo deinceps aude-  
 ret, Principum voluntati se se opponere,  
 sicque status Catholicæ Ecclesiæ, & Pa-  
 pæ auctoritas vacillaret. Expedire igitur  
 ipsum vel invitum restitui, & contra  
 quemcunque defendi. Placuit omni-  
 bus hæc sententia, & Papa Thomæ ad  
 conventum revocato præcepit, ut de ma-  
 nu sua munus Pastorale denuo recipe-  
 ret, promisitque nunquam fore, ut ipsum  
 desti-

defitueret. Verum adiecit, ut discas <sup>Sæcul. XII.</sup>  
 pauper vivere, & modo tempori con- A.C. 1164.  
 gruo, te manibus hujus Abbatis com-  
 mitto, apud quem diversaberis, usque  
 dum fors mitior succedat. Erat is Ab-  
 bas Guiscardus Pontiniacensis, exinde  
 Archiepiscopus Lugdunensis, quem eo  
 consilio Papa adesse jusserat. Ergo Tho-  
 mas cum quibusdam suorum Pontinia-  
 eum profectus, credidit recipiendum si-  
 bi esse habitum Monasticum, ut dignus  
 Archiepiscopus Cantuariensis esset; in  
 Historiis enim legerat, nunquam jurgia  
 in Regno Angliæ fuisse exorta, nisi cum  
 viri, non Monachi, in Cathedra Cantua-  
 riensi sedissent. Quare missis ad Papam  
 nunciis laneam vestem grossioris contex-  
 tus, ejus manibus benedictam, accepit.  
 Ceterum Archiepiscopus Pontiniaci  
 quiete fruebatur, sibi que in illo secessu  
 tanquam in virtutis schola positus vide-  
 batur.

## §. XIV.

*Thomæ propinqui proscribuntur.*

Sed post aliquod temporis spatium so-  
 litudinis dulcedinem exules turba-  
 verunt, qui Archiepiscopum adibant.  
 Quippe Rex Angliæ, offensus, quod ex  
 Anglia fugientem Rex Franciæ & Papa  
 benevolentissime excepissent, & præsi-  
 dium concederent, non Archiepiscopi

K k 4 mo-

Sæcul. XII.

A.C. 1164.

*vit. c. 11.**c. 14.**Gervas.**Chron. 1165.*

modo, sed etiam bona omnium illorum, qui Thomam quacun- que agnatione con- tingerent, quin & amicorum fautorum- que, Fisco addixit. Præterea nec senibus decrepitis, nec infantibus in cunis, nec mulieribus puerperis parcens, e regno ejecit cunctos, jurejurando adstri- ctos, quod ad Archiepiscopum, ubicun- que terrarum degeret, se collaturi es- sent, ut sua præsentia magis affligerent. Tandem pro Thoma in Ecclesia orari vetuit. Itaque multi, in exilium mi- grare jussi, singulis diebus ad Archiepi- scopum confluebant, quamvis complu- res in Flandria subsisterent, quos Papa, eorum ætate, sexu & aeris intemperan- tia pensatis, ab edito juramento absol- vit. Ceteri Pontiniacum veniebant, Archiepiscopi aures clamoribus & la- mentis ob mala, quæ ipsius causa perfer- re cogebantur, fatigantes. Ipse cum omnes apud se detinere non posset, eos in varias cum Epistolis commendatitiis mittebat. Ubique vero inveniebant subsidium, tum quod ipsi omnium mise- ricordiam excitarent, tum quod plerique Regis Angliæ crudelitati indigna- rentur. Quin etiam non nulli ex pro- scriptorum numero facti sunt, sibi in exi- lii loco melius esse quam prius in patria sua.

§. XV.

## §. XV.

Sæcul. XII.

A. C. 1164.

*S. Gilberti Sempringamensis constantia.*

Nullius illorum, qui S. Archiepiscopi *vit. Gilb.*  
 causa persecutionem sustinuerunt, *mon. Angl.*  
 major constantia quam S. Gilberti Sem- *to. 2. p. 684\**  
 pringamensis fuit. Ad Regis aures de-  
 latum fuerat, quod Gilbertus aliique de  
 ejus familia Thomæ in Francia exuli ma-  
 gnâ argenti copiam transmisissent. Quamvis  
 vero falsa esset accusatio, quia tamen fidem  
 invenit, Gilbertus, omnes Præpositi & Ordinis  
 illius Procuratores coram Prætoribus Regis  
 respondere compulsi sunt, atque in mandatis  
 acceperant judices, ut si hujus facti convince-  
 rentur, cunctos solum Angliæ vertere juberent.  
 Judices commiseratione Gilberti, cujus sancti-  
 tatem non ignorabant, moti, modum obtulerunt,  
 quo se ab hac accusatione extricaret; si juramento  
 se purgaret, promittentes, quod sic Abbatem  
 cum suis absolutum dimissuri essent. Verum  
 Gilbertus edixit, se potius exiliî calamitatem  
 amplexurum esse, quam hujusmodi juramentum  
 editurum. Et si enim sciret, juramentum, comite  
 veritate, juranti nocere non posse, sed magis  
 illi, qui alium ad jurandum compellit, mali  
 exempli rem fore existimavit, in

Kk 5

tali

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

tali causa juramento objecta diluere, quasi vero crimen esset, Episcopo, pro Ecclesiæ utilitate persecutionem patienti, solatium & auxilium præbere. Ipso igitur jurare recusante, & Judicibus eum damnare tergiversantibus, aliquamdiu Londini cum suis commoratus est, qui cognoscentes periculum, propediem fore, ut e domibus suis expellerentur, ob detractionem juramenti, quod ipsi libenter præstarent, timore & tristitia afficiebantur, dum contra Gilbertus lætitiâ maximam profitebatur. Ecce autem, cum præstituta dies illuxisset, omnesque mandatum abeundi e regno expectarent, adsunt nuncii, a Rege ultra mare commorante missi, literas afferentes, jubere Regem causam Gilberti differri, quoad per se ipsum de hac re amplius cognosceret. Illico Gilbertus cum suis dimittitur, tuncque, libertati restitutus, coram Judicibus affirmavit, nulla utens juramenti formula, simpliciter falsum esse, quod sibi fuerat objectum. Tanta Gilberti constantia in omnium animis admirationem peperit. Ceterum, post hæc annos viginti tres vitam traxit, & in Sabbato die quarta Februarii, qua die ab Ecclesia colitur ejus memoria, anno millesimo centesimo octogesimo nono, in Domino obdormivit.

*Monast.  
Angl. to. 3.  
p. 691.*

§. XVI.

## §. XVI.

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.*Thomas Pontiniaci.*

Thomas vero dolens, quod amicis suis tot ærumnarum causa esset, Pontiniaci degens rigorem pœnitentiæ auxit. Præter cilicium, quo corpus continuo *vit. 11. c. 15.* constringebat, & flagella, quibus se a suis secreto percuti jubebat, Monacho sibi ad mensam ministranti præcepit, ut sibi singulis diebus præter cibos deliciares, qui ipsi apponebantur, etiam portionem communem totius Congregationis occulte præberet; nam animo constituerat, nullo alio ferculo refici. Ergo per aliquot dies nihil cibi nisi legumina exsiccata & insipida cepit, juxta mensuram, quæ tunc temporis in Ordine Cisterciensium servabatur. Sed istud alimentorum genus, ab illa lautitia, cui Thomas ab ineunte ætate adsueverat, usque adeo diversum, gravem ei morbum conciliavit, iterumque usum ciborum, sanitati suæ magis proficientium, repetere coactus est.

Inter hæc per nuncios hinc & inde *c. 16.* missos negotium inter Papam & Regem Angliæ agitabatur, de celebrando conventu, in quo de restituenda pace sermo conferi posset. Promisit Rex, se ea conditione venturum esse, si Thomas non veniret, nam, si ipse adesset, se nec Papam

Sæcul. XII.  
A.C. 1165.

pam invisurum. Contra Thomas Papa scripsit; ne se absente Regi colloqueretur. *Novi, inquiebat, hujus Principis ingenium. Fallet, S. Pater, facilitatem tuam, nisi intersit interpres, cui Regis astutia explorata sit.* His monitis instructus Papa Regi respondit, in hunc modum: *Res est de Ecclesiæ Romanæ benignitate inaudita, quemquam ideo solum fuisse rejectum, quod id fieri Princeps petierit, multo minus virum Justum in exilium pulsum. Quin potius id juris Sacræ Sedi est, ut Episcopos oppressos, indignantibus licet Principibus, foveat & tueatur.*

Ita celebrandi conventus propositum evanuit.

§. XVII.

*Comitia Herbipolensia.*

*to. 10. Conc. p. 1438.*  
*Guil. Neubr. II. c. 16.*  
*Chr. Reichersp. 83c.*  
*an. 1168.*  
*Lup. 1. ep. 72* In Germania Fridericus Imperator frequentissima Comitia Herbipoli in Francia vigesima tertia Maji in Festo Pentecostes anno millesimo centesimo sexagesimo quinto celebravit, quibus cum inter ceteros interesset Arnoldus, electus Archiepiscopus Colonienfis, dixit; Imperatorem contra Rolandum (ita Alexandrum Papam nominabat) nihil acturum esse, nisi consilium, quod modo suggesturus esset, sequeretur. Nam potior pars Imperii, inquiebat, Alexandro favet, ac præter alios Archiepiscopi Salisburgensis & Moguntinus. Ego vero ad obe-

obedientiam Papæ nostri Paschalis plu- Sæcul. XII.  
res Episcopos, quam nos hic sumus, ad- A.C. 1165.  
duxi, videlicet tot Præsules, quot ipsi  
Rex Angliæ, numero plures quam quin-  
quaginta, exhibebit.

Ut autem id quod dicebat probaret,  
duos Clericos a Rege Angliæ missos  
Joannem Oxoniensem & Richardum Ive-  
locestriensem obtulit. Quippe Rex An- vit. S. Tho.  
gliæ, Alexandro Papæ infensus, ad Archi- II. c. 20.  
episcopum Coloniensem Epistolam de- I. ep. 66. III  
derat, in qua dicebat, quod suadentibus  
omnibus suis Baronibus, & Clericis con-  
sentientibus, statuisset, Romam mittere  
Archiepiscopum Eboracensem, Episco-  
pum Londinensem, Archidiaconum Pi-  
ctaviensem, Joannem Oxoniensem &  
Richardum *de Luci*, qui Alexandro Pa-  
pæ, ejusque Cardinalibus denunciarent;  
Thomam tueri desinerent, intactam re-  
linquerent Regi libertatem, Cantuariæ  
alium Archiepiscopum constituendi,  
quæcunque egisset Thomas irrita & in-  
valida pronunciarent, & tandem promit-  
teret Papa, quod ipse ejusque Successo-  
res Consuetudines Angliæ, eo modo quo,  
Henrico primo regnante, viguissent, ser-  
vaturi essent, nisi vellent, Regem Hen-  
ricum secundum, relicto Alexandro, ad  
partes alterius transire. Quare roga-  
bat Archiepiscopum Coloniensem, ut sibi  
Equitem Hospitalarium mitteret, qui Le-  
gatis



Sæcul. XII.  
A. C. 1165.

gatis suis per ditiones Imperatoris proficiscentibus præsidio esset. Archiepiscopus Coloniensis, accepta hac Epistola, Imperatorem consuluit, quid responderi vellet, qui rescripsit, id Regis Angliæ precibus omnino dandum esse. Missus est igitur Hospitalarius, nomine Frater Rudolphus, qui Regis Angliæ nuncios, Romanam ituros, Joannem Oxoniensem & Richardum Ivelocestriensem \* per terras Imperatori subjectas deduxit.

\* al. Ivecstrensis.

ep. 72.

Cum hos Archiepiscopus Coloniensis in Conventu Herbipolensi produxisset, pollicitus est Imperator, se Archiepiscopi consilium amplecturum esse, quod ille aperuit in hunc modum: *Imperator in conspectu totius Curia suæ juret, quod nullo unquam totius vitæ suæ tempore Rolandum Papam, vel quemcunque hominum ejus partibus adhaerentem recipere velit, sed vinculo perpetuo & indissolubili Paschali Papæ adstrictus perseveret. Si vero Imperatori mori ante contingat, ejus Successores idem juramentum servent. Principes Imperii Fridericus Imperator ad jurandum compellat, & promittendum, quod Regi Friderici Successori coronam neutiquam velint imponere, nisi ad id ipsum jurejurando se obstringant. Principes postquam ad sua reversi fuerint, hoc jusjurandum ab omnibus Abbatibus, Præpositis aliisque Præfectis Eccle.*

*Ecclesiasticis, a militibus ceterisque omnibus, Feuda in suo Territorio possidentibus exigant, & si imperatum detrectent, bona eorum arario Principis addicantur, ipsi gradu suo dejiciantur, officiis priventur, proscribantur.*

Sæcul. XII.

A.C. 1165.

Placuit Imperatori datum consilium; sed non nullis Præsulibus durum admodum & molestum videbatur, atque Archiepiscopus Magdeburgensis edixit, nullum se præstiturum juramentum, nisi prius Coloniensis Ordines & Consecra-  
 tionem reciperet, quo omnem dubitationem, an sincere ageret, ab suo & aliorum pectore removeret. Quod cum Coloniensis promittere nollet, Imperator acriter eum aggressus, *Manifeste, inquit, proditorem & deceptorem te exhibuisti, cum Papam mihi præfecisti ignorantem, & antequam redditæ tibi fuissent literæ, quibus imperabam, ne ad quamcunque electionem procederes. Magis mihi proditor es quam Archiepiscopus Moguntinus, quem reum hujus criminis deferebas, salubre consilium mihi dantem; ne novo Successori me submitterem, postquam me Deus a Victore fatis functo liberasset. Nunc igitur laqueum, quem parasti, primus indue. A te solo hoc juramentum exigendum esset, etiamsi id omnes alii recusarent.*

Archiepiscopus Coloniensis.

His

Sæcul. XII.

A. C. 1165.Acta Con-  
ciliabuli Herbi-  
polensis.

\*forte Otto.

His angustiis pressus Archiepiscopus  
Colonienſis, cum dicta retractare non  
poſſet, cum maximo fletu primus quod  
propoſuerat edidit juramentum, pro-  
mittens quoque, Ordines ſe & Conſe-  
crationem Episcopalem recepturum eſſe.  
Tum memoratos nuncios Regis Angliæ  
exhibuit, qui Regis ſui nomine jura-  
rent, ipſum quoque conſtanter obſerva-  
turum eſſe, quidquid Imperator juraſſet.  
Præſtitit ergo juramentum Imperator,  
addita tamen conditione, quam Archie-  
piscopus Magdeburgenſis ſuggreſſit, ſi  
duos Papas Alexandrum & Paſchalem  
ſub idem tempus mori contingeret, &  
Cardinales utriusque partis in aliquem  
unanimitè conſentirent, libere eum  
poſſet recipere, ſi modo, quod monente  
Archiepiscopo Colonienſi adjectum, ele-  
ctio conſentiente Imperatore peracta  
eſſet. Deinde Principes quatuor tunc  
præſentes, nempe Dux Saxonix, Marchio  
Brandeburgi, Albertus ſenior, Contra-  
\* Comites Palatinus Rheni Imperato-  
ris frater, ejusque ſororius Ludovicus  
Landgravius, idem juramentum edide-  
runt.

Cum vero ad Episcopos ventum  
eſſet, dicerentque omnes, excepto  
Verdenſi, malle ſe Regalibus cedere,  
quam hujusmodi Sacramenta præſtare,  
reſponſum eſt, oportere eos, vellere  
nollente

nollentve, juramento se alligare, & Regalia retinere. Jurandum fuit igitur, etiam inter fletus & planctus. Primus Sacramentum edidit Magdeburgensis, his adjectis pactis, si omnes alii, qui aberant, juraturi essent, & ab hoc juramento solutus esset, si aliquando Regalia non possideret. Episcopus Bambergensis, diu tergiversatus, juravit, quod quamdiu bonis Regalibus esset potiturus, Imperatorem in hoc negotio consilio & ope adjuturus esset. Episcopus Verdensis & ille qui Halberstadii intrusus erat, absolute, sicut etiam Colonien- sis, jurarunt. Episcopi Virdunensis, & Frisingensis excusantes se, quod eorum Metropolitæ abessent, inducias usque ad Festum S. Petri obtinuerunt. Huic Con-  
 ventui nec Patriarcha Aquilejensis, nec Archiepiscopus Salisburgensis, nec Tre-  
 virensis, nec ullus ex eorum Suffraganeis interfuerunt (\*). Ceterum Archiepiscopus Moguntinus tunc erat Conradus, Ottonis Comitis Palatini frater. Is ab aula Imperatoris clam fugiens, eodem

*Chron. Reichersperg. v. Page. an. 1663. n. 16. l. ep. 70.*

(\*) Id ita accipiendum est, quod plurimi abfuerint; nam Virdunensis Suffraganeus Trevirensis & Frisingensis Suffraganeus Archiepiscopi Salisburgensis erat, uterque his Comitibus præsens.

*Hist. Eccles. Tom. XVII. L 1*

Sæcul. XII.  
A. C. 1165.

dem anno millesimo centesimo sexagesimo quinto, in Franciam venerat ad Alexandrum Papam, quem in Italiam secum profectum Papa Cardinalem & Episcopum Sabinensem creavit. Conrado discedenti Imperator in Sedem Moguntinam Christianum Cancellarium suum, quem anno millesimo centesimo sexagesimo primo eligi curaverat, subrogavit.

Quamvis vero paucissimi Episcopi Conventui Herbipolensi interfuissent, Imperator nihilominus, data de hac re Epistola, dicebat, Archiepiscopos, & Episcopos, qui se Sacramento obstrinxissent, fuisse numero quadraginta. Nempe illos quoque complectebatur, qui electi tantum erant, nam addit, quod in Sabato quatuor temporum cuncti Sacros Ordines acceperint. Dicebat præterea omnes Principes Sæculares jurasse; sed illos tantum quatuor nominat, quos memoravimus. Tandem adjiciebat, se promississe, quod nunquam absolutionem ab hoc juramento petiturus esset. Hæc Epistola ad omnes Imperii populos dirigitur, Herbipoli prima die mensis Julii data. Imperator præterea Imperii Principibus sigillatim scripsit, quod ex Epistola ad Abbatem Stabulensem data discipimus.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Sæcul. XII.

A. C. 1165.

*Querelæ Pontificis contra Regem  
Angliæ.*

Alexander Papa per nuncios celeriter i. ep. 37.  
 edoctus, quid Herbipoli actum esset,  
 datis illico literis ad Gilbertum Episco-  
 pum Londinensem, cujus apud Regem  
 Angliæ maxima erat auctoritas, conque-  
 stus est, quod hic Princeps Ecclesiam  
 deseruisset, communicans cum Schisma-  
 tificis, hominibusque nominatim excom-  
 municatis. Quod etiam Ecclesiam Ma-  
 trem suam in Persona Archiepiscopi Cau-  
 tuariensis persequeretur. Hinc Papa  
 Gilberto præcipit, ut cum Roberto Epi-  
 scopo Herfordiensi operam jungat, & am-  
 bo Regem ad officium suum erga Roma-  
 nam Ecclesiam omnibus viribus reduce-  
 re conentur. Ne videlicet Romam iter  
 facientes aut ad Sacram Sedem appellan-  
 tes impediatur, Archiepiscopum vero Se-  
 di suæ restituatur, & Ecclesiam, quam in  
 provinciis sibi subjectis opprimere dice-  
 retur, suo præsidio custodiat. Tandem  
 Papa Episcopo curam committit, colli-  
 gendi Denarium S. Petri per universam  
 Angliam pro anno illo currente, quam  
 pecuniam ea qua posset celeritate trans-  
 mitteret. *Interim autem, inquit, donec  
 eam acceperis, partem vel ex tuo, vel ex*

Ll 2

*alieno*

Sæcul. XII.  
A. C. 1165.

*alieno ære, si mutuum invenire possis, nobis præbebis, & quantum suggesseris, tantum in debitam restitutionem de ipsa summa detrahes. Tam gratum nobis facies, ac si dono dares. Videlicet Papa ad iter in Italiam suscipiendum pecunia indigebat. Hæc Epistola Claromontii in Avernina decima Julii anno millesimo centesimo sexagesimo quinto data est.*

*Act. ap.  
Baron.*

Tunc enim Papa in itinere constitutus erat, Romam rediturus, ubi, ex quo Octavianus Antipapa fatis functus erat, avide expectabatur. Post Festum Paschæ, quod illo anno millesimo centesimo sexagesimo quinto in diem quartam Aprilis incidebat, relictis Senonibus Lutetiam venit & inde Biturigas, ubi S. Thomas Cantuariensis, Papam huc usque comitatus, ei vale ultimum dixit. Biturgis Papa Claromontium comieavit.

§. XIX.

*Rex Anglice defenditur.*

*r. ep. 38. Episcopus Londinensis Summo Pontifici respondit in hunc modum: Acceptis mandatis tuis, Carissime Pater, ac qua par est reverentia, omni mora obiecta, ego & Episcopus Herfordiensis Regem adivimus, etsi jam exercitum suum duxisset in Walliam. Correptionem tuam suscepit gratias agens, & filiali modestia respondit. Primo dicit, quod nunquam cessavit.*

cessaverit, te ut Patrem suum amare & Sæcul. XII.  
mandatis tuis obedire. Si vero ab ali- A. C. 1165.  
quo tempore amor ejus tepescere visusest,  
istud inde factum, quod postquam tibi in  
adversis laboranti obsequium, ut poterat,  
præstitisset, tu ferme omnia, quæcunque  
a te petiit, denegaveris. Nihilominus  
fidem tibi constanter servaturus est, &  
promittit, se nec in posterum, quod buc-  
usque nunquam fecit, quemquam ab  
itinere Romano vi adhibita abstracturum.  
Quod spectat ad Appellationem; id juris  
sibi esse credit, ut prohibeat quemquam  
Clericorum e Regno suo exire, nisi prius  
Justitiam sibi administrari in Anglia  
petierit. Sciebat Rex, Imperatorem esse  
Schismaticum, sed hoc usque ignorabat,  
quod ipsum excommunicationis censura  
perstrinxeris. Dicit, se nunquam Archi-  
episcopum Cantuariensem expulisse. Cum  
igitur sponte sua discesserit, ad Ecclesiam  
suam redire potest, si lubet, dummodo  
Regi justas querelas moventi satisfaciat,  
& Consuetudines Regias, quod se factu-  
rum edito juramento promisit, servet.  
Si quæcunque Ecclesia aut persona Eccle-  
siastica actionem moveat, quod opprima-  
tur, Rex in judicio totius Ecclesiæ stare  
non recusat.

Habes jam, S. Pater, responsa Regis,  
obsecro te, cogita, quem exitum tanti  
momenti negotio parare velis. Rex enim



Sæcul. XII. *innocentiam suam exinde satis clare de-*  
A. C. 1165 *monstratam existimat, quod omnia, qua*  
*hactenus dicta sunt, Ecclesiæ Anglicana*  
*judicio subjiciat. Quare, etiam atque*  
*etiam rogamus, zelo tuo moderare ad tem-*  
*pus, ne si in sententiam Interdicti vel ex-*  
*communicationis prorumpas, maximo mor-*  
*dolore videre cogaris Ecclesias ingenti*  
*numero everfas, Regemque & populum*  
*innumerabilem in omne tempus a tua com-*  
*munionem præcisum. Præstat, membrum*  
*utcumque vulneratum, capiti cum spe re-*  
*cuperandæ sanitatis junctum esse, quam*  
*separatum & in perpetuum ab eo avulsam.*  
*Quid enim, si monita tua hodie non re-*  
*cipiuntur, an ideo de Gratia Dei despe-*  
*randum? an non potius aliud tempus ex-*  
*pectandum, quo admittantur? vincetur*  
*ingenium Regis, si non nihil indulseris.*  
*Mansuetudine, lenitate & patientia fero-*  
*cem flectes. Sine, ut dicam, nam Caritas*  
*urget me; si hujus litis finis erit Archi-*  
*episcopi Cantuariensis, Bonis suis spoliati,*  
*æternum exilium, & Anglia, quod bo-*  
*num Numen avertat, tibi nunquam non*  
*refractaria, tunc profecto intelliges, te*  
*tibi & Ecclesiæ multo melius consultu-*  
*rum fuisse, aliquid ad tempus dissimu-*  
*lando, quam tantam severitatem intem-*  
*pestive adhibendo. Dabo, complures ex*  
*nobis tibi fideles & obedientes, non ob-*  
*stante persecutione, permansuros; ut facile*  
*invenie-*

invenietur aliquis, qui Antipapæ adulabi- Sæcul. XII.  
 tur, & de ejus manu Pallium Ecclesiæ A.C. 1165.  
 Cantuariensis accipiet. Erunt alii, qui  
 ideo assentabuntur, ut Sedes nostras Epi-  
 scopales possint invadere. Multi jam bodie  
 futurarum rerum cogitatione delectantur,  
 & turbas turbis cumulari exoptant, ut in  
 turbido piscentur. Nos quidem neutiquam  
 privatis commodis movemur, sed tristi Ec-  
 clesiæ sorte, quæ nostræ cervici impendet,  
 & cujus ne spectator esse compellar, Cæ-  
 lum precor, ut celeri potius morte me re-  
 bus humanis eripiat. Hucusque Episcopus  
 Londinensis (\*).

Ll 4

Rex

(\*) Sapiens profecto hujus Episcopi Londi-  
 nensis consilium, quod secutus Alexander  
 Papa III. nec Angliam Interdicto constrinxisse,  
 nec Regem excommunicationis fulmine per-  
 cussisse legitur; etsi deinde S. Thomas majore  
 rigore in quosdam usus fuerit. Ceterum, acre  
 jurgium hujus temporis funesto Ecclesiæ An-  
 glicanæ Schismati Sæculi XVI. prælusisse videtur,  
 quod deplorat Eminentissimus Cardinalis noster  
 Sfondrati in Regali Sacerdotio Paragrapho se-  
 cundo pag. 125. Typis Monasterii S. Galli. Et  
 Doctrinam moderationemque Summis Ponti-  
 ficibus suggerit, illi simillimam, quam Gilbertus  
 Londinensis Alexandro III. proponebat. Loqui-  
 tur autem in hæc verba: *Suadet Cardinalis  
 Volſæus Henrico VIII. Regi Angliæ. Catha-  
 rinam Imperatoris Materteram repudiet: Et  
 facile*

Sæcul. XII.

A.C. 1165.

Gilbertus  
Londinen-  
sis.

Rex Angliæ, seu verius idem Episcopus Gilbertus, Regis sui nomine, in eundem sensum Collegio Cardinalium scripsit. Commemorat, quantum Alexander

xandro

*facile persuasit aliam amanti; ea fuit Anna Bolena ex Catharina gynecæo. Petita a Julio II. Pontifice Max. dispensatio, sed negata, quod diceret, constante primo matrimonio eam dari non posse. Rex amore victus Annam occulte prius dein aperte & cum apparatu ducit. Papa excommunicationem minari. Intercessit tamen excommunicationi Franciscus I. Rex Galliarum, impetravitque terminum etsi angustum, pœnitentiæ Henrico præscriptæ; die ultima jam consumta, nec apparente Nuncio in Angliam dimisso, diræ in Henricum pronunciata, publicisque locis affixæ. Vix biduum fluxerat, & ecce! nuncium & literas ab Henrico obsequii & reverentiæ plenas, quibus Pontifici causam submittebat; sed divulgata jam sententia, & paulo post in Angliam appulsa, tantum iræ concepit Rex, ut Papam ejuravit, & que Caput Ecclesiæ iusserit. Recepti in Angliam Lutherani, & Fides toto Regno expulsa; huc ira & indignatio pervenit. Pœnituit enim vero Papam biduum non expectasse; tantum enim mora Angliæ Regnum constabat. Sed Imperatoris amici Pontificem impulere, quod sero didicit verissime a Philosopho dictum: Dandum semper est tempus; veritatem dies aperit.*

Huc usque Cardinalis Sfondrati.

xandro Papæ fauerit, & quod non ipse modo lubentissime eum Papam receperit, sed etiam alios eidem amicos & subditos conciliauerit. Conqueritur, quod a Papa velut Ecclesiæ hostis & persecutor increpetur; profitetur tamen, se esse obedientem filium, ejusque affectum Paternum quærere, si modo ipse a Papa, sicut Antecessores sui a Pontificibus superioris temporis, haberetur. Tandem edicit, se iudicium Clericorum & Regni sui Principum, quorum iura & prærogativas antiquas conseruare studeret, semper amplexurum.

Alexander Papa Episcopis quoque, Regi Angliæ citra mare subjectis, nimirum Archiepiscopo Rotomagensi, Archiepiscopo Burdigalensi, eorumque Suffraganeis scripserat, conquerens, quod ipsorum Rex cum Rainoldo Archiepiscopo Colonensi communicasset, & Nuncios ad Fridericum Imperatorem misisset. Ad hæc Rotruuius Archiepiscopus Rotomagensis Henrico Presbytero Cardinali rescripsit in hunc modum: *Regis Angliæ nomine sancte affirmamus, quod nequitiam vel ipse vel ejus Legati iurandum ediderint, & Imperatori promiserint, eum ad Antipapam defecturum esse. Contra vero certissime scimus, quod in illis pactis nuptialibus, quamvis per triduum Germani uehementissime instarent,*

Sæcul. XII.  
A. C. 1165.

I. ep. 41.

I. ep. 98.

I. ep. 102.

Sæcul. XII. *vent, nihil prius ratum habuerit, quam*  
 A.C. 1165. *posita prima conditione; se semper Ec-*  
*clesiæ & Regi Franciæ fidem integram*  
*servaturum. Ita Rotruvius Angliæ Lega-*  
*torum acta, antequam ab Imperatoris*  
*curia rediissent, falsa esse denunciati.*  
 Ceterum fœdera illa nuptialia inter Hen-  
 ricum Leonem Ducem Saxonix & Mathil-  
 dem filiam Regis Angliæ natu majorem  
 tractabantur.

*Y. ep. 41.*

*V. Baudr.*  
*Gradus.*

Alexander Papa, accepto Episcopi  
 Londinensis responso, acquiescere visus  
 est, gratiasque egit, quod curam gereret  
 Regis in officio erga Ecclesiam conti-  
 nendi. Rogavit, ut ad consequendum  
 hunc finem cum Archiepiscopo Roto-  
 magensi, Episcopo Herfordiensi & Mathil-  
 de Imperatrice operam jungeret. Data  
 est hæc epistola vigesima secunda Au-  
 gusti anno millesimo centesimo sexagesi-  
 mo quinto in loco, qui tunc *Gradus Mer-*  
*curii* dicebatur, eratque ostium Rho-  
 dani prope Magalonam.

§. XX.

*Reditus Alexandri Papæ Romam.*

*Act. ap. Ba-*  
*ron.*  
*to. 10. Conc.*  
*p. 1336.*  
*ep. 71.*

Nam Pontifex iter suum prosequens  
 Claromontio Anicium in Arvernia,  
 & inde Montispeffulum pervenit, ubi  
 usque ad Festum Dominæ Nostræ in mense  
 Augusto commoratus est. Ex illa civi-  
 tate, data ad Regem Franciæ epistola,  
 roga-

rogavit, ut si in Regno ejus vel Epi-  
 scopatus vel quædam Abbatia decedente  
 Præfule vacaret, hujusmodi Beneficium  
 Thomæ Cantuariensi conferri curaret,  
 ex quo ipse cum suis sustentaretur, quoad  
 demum cum Rege Angliæ rediret in  
 gratiam. Scripsit quoque Papa Regi  
 Franciæ, commendans nuper electum  
 Episcopum Carnutensem, qui Regis  
 jussu Pontificem salutaverat. Erat is  
 Guilielmus *candidis manibus*, filius  
 quartogenitus Theobaldi IV. Comitis  
 Campaniæ, Regi affinitate juncti; quippe  
 Prens ejus, Guilielmo filio a prima  
 ætate Dignitates Ecclesiasticas destinans,  
 S. Bernardum rogaverat, ut ei faveret,  
 quam curam recusans S. Abbas responde-  
 rat, hujusmodi officia illis tantum de-  
 beri, qui ea digne obire & possent &  
 vellent, nec licitam rem esse etiam adul-  
 tis, plura possidere. Guilielmus *candi-*  
*dis manibus* primum fuit Præpositus ad  
 S. Cyrum Provini, tum, Roberto II.  
 Episcopo Carnutensi vigesima tertia Sep-  
 tembris anno millesimo centesimo sexa-  
 gesimo quarto ad æterna translato, anno  
 sequente ad Sedem vacantem evectus  
 est, concessitque Alexander Papa ju-  
 veni quinque annorum inducias, quibus  
 elapsis demum consecraretur. In hujus  
 ergo Guilielmi gratiam Papa Regi ipsius  
 affini scripsit, ac in eadem epistola hor-  
 tatus

Sæcul. XII.  
 A. C. 1165.

to. 10. Conc.

p. 1328.

ep. 57.

p. 1347.

ep. 87.

ep. 271.

Gall. Chron.  
 to. 2. fol. 490.

Rob. de  
 monte ann.  
 1165.

Sæcul. XII.  
A.C. 1165.

tatus est, ut causam Ecclesiæ defenderet, nec sollicitationibus Friderici Imperatoris mutari se pateretur. Hæc Papæ epistola Montispeffulo decima nona Augusti data.

*Contin.  
Aimoin. c.  
ult. Alber.  
an. 1165.*

Sub idem tempus in lucem editus Ludovici filius totum Regnum & imprimis Regem patrem ingenti lætitia affecit, diu multis precibus expetitus. Ut hanc gratiam a Deo obtineret Ludovicus cunctorum virorum piorum orationi se commendabat, cumque Capitulum Generale Cisterciensium adiisset, in terram procubuit extensis manibus, noluitque surgere, nisi postquam omnes orassent, & Dei nomine promississent, brevi filium ei nasciturum esse. Is primo lucem aspexit Lutetiæ Parisiorum illa nocte, quæ inter Sabbatum & Dominicam, diem vigesimam secundam Augusti anno millesimo centesimo sexagesimo quinto intercessit. Eadem die a Mauritio Episcopo Parisiensi baptismum e sacro fonte levarunt Hugo Abbas S. Germani *de pratis*, Herveus Abbas S. Victoris, & Odo Abbas S. Genovevæ, Constantia Regis Soror Comitissa Tolosæ, & duæ matronæ viduæ Parisienses. Appellatus est Philippus, addito cognomento, *Adeodatus*.

*to. 10. Conc.  
p. 1333. ep.  
65. Et.*

Aliquot abhinc annis, scilicet cum Alexander Papa in Franciam venit anno mil-

millesimo centesimo sexagesimo secundo, Sæcul. XII.  
 adfuere Legati duo Manuelis Imperato- A.C. 1165.  
 ris Constantinopolitani, cum literis &                       
 Mandatis arcanis, ad Papam & Ludovi- Duchesn.  
 cum Juniorem directis. Regi scribebat to. 4. p. 612.  
 Manuel, quod ipsius testimonio nixus ep. 136. & 6.  
 Alexandrum legitimum Papam recipiat, Manuel Imp.  
 debito cultu eum prosequatur, & ejus proter.  
 precibus adjuvari petat. Ex quibus ap. Baron.  
 cognoscimus, quod Imperator Græco- an. 1180.  
 rum se in Communione Ecclesiæ Romanæ  
 existere crediderit. Postea ad Papam,  
 iter Romam ingressurum, epistolam de-  
 dit in hæc verba: *Scripisti mihi, quod*  
*nobilissimus Rex Franciæ cum aliis Prin-*  
*cipibus ad auxilium Terræ Sanctæ feren-*  
*dum moturus sit. Valde gratum id mihi*  
*accidet, ut antea scripsi; transitum con-*  
*cedam & commeatus præbebo. Sed me*  
*quoque securum præstari oportet, quod*  
*Imperium meum nullis militum vexationi-*  
*bis atteratur, & omnes civitates Turcis*  
*in Romania ereptas, quarum Catalogum*  
*Apocrypharum mei ad vos detulerunt, mihi*  
*reddatis. Quia vero Sanctitas tua hujus*  
*expeditionis auctor est & rector, cupio*  
*ut cum exercitu Cardinalem mittas, qui*  
*improborum temeritatem refrenet. Nam*  
*fieri non potest, ut in tanta hominum*  
*multitudine non etiam contumaces &*  
*stultos invenire sit. Hæc epistola mense*  
 Martio Indictione decima tertia, nempe  
 anno



Sæcul. XII. anno millesimo centesimo sexagesimo  
A.C. 1165. quinto, data est (\*).

Alexander Papa civitate Montispe-  
 sulana intra Octavam Assumptionis B. M.  
 relicta, post navigationem periculis ple-  
 nam, Messanam appulsus est. Quod  
 ubi ad Guilielmum Regem Siciliae tunc  
 Panormi agentem delatum, mandata  
 misit, ut Papæ, quem Patrem & Domi-  
 num suum reverebatur, congruus honor  
 haberetur, jussitque offerri dona, Regia  
 munificentia digna. Triremen purpu-  
 reis velamentis ornari, ac instructu mili-  
 tati muniri præcepit, qua Summus Ponti-  
 fex veheretur, & quatuor alias parari,  
 quas Episcopi & Cardinales conscende-  
 rent. Mandata cuidam Archiepiscopo  
 & compluribus Optimatibus dedit, qui-  
 bus Papam, obsequii causa, Romam  
 comi-

(\*) Huic epistolæ Manuel Imperator ita sub-  
 scripsit: *Manuel in Christo Deo Fidelis Rex  
 Porphyrogenitus, Sublimis, Celsus, Fortis,  
 Augustus & Imperator Romanorum Comu-  
 nus.* Unde videmus duos adhucdum illa ætate  
 extitisse Principes in Oriente & in Occidente,  
 qui se Romanorum Imperatores dicerent, quo-  
 rum alteri satis ambiguum & vacillans, alteri  
 nullum Romæ erat imperium. Ceterum ex epi-  
 stola Manuelis ad Regem Ludovicum Franco-  
 rum data probatur contra Protestantes Græcæ  
 & Latinæ Ecclesiæ, in veneratione Romani  
 Pontificis, concordia.

comitari jubebantur. Papa Messana sol-  
vit mense Novembri, Salernum & Caje-  
tam divertit, tumque per Ostia Tiberina  
invectus Ostiam appulit, ibique noctem  
illam transegit. Ubi vero altera illuxit  
dies, maxima populi frequentia, Sena-  
tores, Nobiles, Clerici, Roma egressi  
venientem Pontificem excipiunt, ramos  
olivarum portantes, summamque profi-  
tentes lætitiā. Ceteri quoque Clerici  
omnes Ordinis sui vestibis induti in via  
præstolabantur. Adfuere etiam Judæi Le-  
gem suam pro more brachiis deferentes.  
Adfuere Tribuni cum suis vexillis, Equi-  
tes, Notarii, Judices, Causidici, &  
ita solemnī pompa procedentes, alter-  
nantibus cantantium Choris, ad Palatium  
Patriarchale in Laterano deducunt. Age-  
batur dies vigesima prima Novembris,  
Indictione decima tertia. Triduo trans-  
acto Papa, data epistola, Henricum  
Archiepiscopum Remensem ejusque Suf-  
fraganeos adventus sui in Urbem certio-  
res fecit, memorans, quod in itinere  
multas ab inimicis sibi structas insidias,  
nempe ab Imperatore Friderico & Schis-  
maticis, quos tuebatur, evasisset.

## §. XXI.

*Epistola Arnulphi Lexoviensis ad  
Thomam data.*

Sub idem tempus, cum Thomas Can-  
tuarieus

Sæcul. XII.  
A. C. 1165.  

---

  
to. 10. Conc.  
p. 1370.  
  
1. ep. 85.  
tom. 2.  
Spicil.  
p. 485.

Sæcul. XII.  
A.C. 1165.

tuariensis ad Arnulphum Episcopum  
Lexoviensem, magna auctoritate in Cu-  
ria Angliæ fulgentem, literas dedisset,  
ille scripta prolixa epistola respondit, in  
qua summam dicebat: *Aliqui ex tribu  
illorum, qui se se arcanas aliorum cogi-  
tationes perspicere putant, existimabant,  
te ambitione duci, tibi que jam Archi-  
episcopo eandem mentem ac olim Cancel-  
lario durare, qua potestatem tuam ultra  
omnes limites proferre ac Regis potentia,  
quam a te habet, æqualem reddere cupe-  
res. Te hoc consilio Regiæ voluntati  
mature obstitisse, ut isto exemplo ceteros  
omnes terres. Narrabant non nulli,  
te in medio amicorum tuorum sedentem  
sæpius dicere; incautæ Principis juven-  
tuti non esse adulandum, sed virili vigore  
resistendum. Nemini magis quam tibi  
exploratam esse ejus indolem, nec ipsum  
nescire, quam necessaria sibi esset tua opera.  
Talia ad Regis aures deferebantur, qui  
ira accensus dicebat; opus sibi esse omni-  
bus viribus suis & tota industria, quia  
Dignitas Regia periclitaretur; non ipsum  
latere inflexibile tuum ingenium, quod  
te a cæpto desistere nunquam sineret.*

*Verum eventus omnes suspiciones di-  
luit. Cumque hodie bona fides tua cunctis  
evidenter constet, letantur prohi, &  
inimici tui pudore afficiuntur. Liqueat,  
quod Justitiam & Ecclesiæ libertatem*

• omni-

omnibus commodis vitæ hujus præposueris, & si novos abusus inuehentes consentire voluisses, non solum pace frui, sed etiam cum Principe regnare potuisses. Semper invictus in defensione bonæ causæ stetisses, nisi pugnantem illi ipsi destitissent, quorum plurimum intererat, eandem causam tueri; sed eorum ignavia inimicis tuis animos addidit. Quantum in te fuit, vitam ipsam periculo exposuisti; Rex tamen tibi perpercisse, & dum injecto terrore constantiam tuam frangere conabatur, amicitia in te affectum non exuisse videtur. Fugam tuam antevertere potuisset, si adhibuisset potentiam suam, & in Anglia detento tanta Regi nocendi facultas tibi non fuisset, nec inimicis tam obvia ipsius famam denigrandi occasio.

Perpende, quæso, qualis sit causa tua, quis Adversarius, qui adjutores tui. Causa tua manifeste justa est, quia pro libertate Ecclesiæ decertas, quæ salva fide oppugnari non potest. Sed Adversarium babes, cujus astutiam remoti, potentiam vicini, subditi severitatem, metunt. Quem prospera fortuna tam delicatum effecit, ut si minimum quodcumque cupientis nutum neglexeris, atrocem injuriam existimet. Non nunquam humilitati & patientiæ tractabilem se præbet, sed vim omnem repellit, nec quidquam invitum facere videri sustinet, gloriæ usque adeo  
Hist. Eccles. Tom. XVII. M m cupi-

Causa  
S. Thomæ.

Sæcul. XII.  
A. C. 1165.

*cupidus, ut etiam assentatores placeant. Hinc tibi a cunctis Suffraganeis tuis perfide deserto, nihil ab eis præsidii sperare licet. Quo pacto enim dissensionis auctores pacem concilient? In minore gradu constituti plerique sincere te amant, sed timor exilii revocat; quare præter suspiria & vota secreta nihil remedii offerunt.*

*De Principibus quid dicam? nemo nescit, eos quodam conjurationis genere contra Ecclesiæ emolumentum & dignitatem coivisse, quia sibi persuasum habent, Ecclesiam non nisi detractis Sæcularium spoliis ditescere & extolli. Favente hac occasione, eo ardentius operi insistent, dicuntque, sibi salutem Reipublicæ unice curæ esse, non oportere hujus Regis minorem esse Dignitatem quam Antecessorum suorum, quorum neutiquam tanta fuisset potentia. Ad conservandam regiam dignitatem necessaria fuisse, aiunt, quæcunque olim tentata fuere, etiamsi tam Fidei quam rationi adversentur. Re vera autem Regi blandiuntur, atque ad suscipiendum malæ causæ præsidium impellunt, ut tandem acciso ejus auctoritate & potestate, quod futurum sperant, ipsi veteri criminum suorum impunitate gaudere possint.*

*Si auxilium exterorum spectes, initio quidem subsidia liberaliter & abunde offerunt,*

offerunt, sed tempore affectus languet, Sæcul. XII. A.C. 1165.  
 & expensarum moles munificentiam mi-  
 nuit. Parce igitur recipienda sunt, quæ  
 nobis solius caritatis causa donantur, &  
 aliqua etiam recusanda, ne fons obstrua-  
 tur. Hæc omnia tibi mature & serio  
 pensanda sunt.

Tutissimum erit moderatione uti, in  
 adversis non desperare, nec obstinate in  
 causæ tuæ bonitate confidere. Quodcun-  
 que crimen non est, nec fidem lædit, tole-  
 rari debet, quæque corrigi non possunt  
 ad tempus dissimulari. Non semper eo-  
 dem res humanæ hærent loco, Deusque, Arnulphus Lexoviensis.  
 ut lubet, corda Principum convertit.  
 Interim si favens occasio se offerat, pre-  
 bende capillitium, aut si proponantur tibi  
 pacis conditiones, noli singulos articulos  
 subtilius discutere, ne rixæ renoventur.  
 Promissa generalia non respuas, satisque  
 tibi sit, si speciatim nulla inseratur con-  
 ditio, quæ libertatem Ecclesiæ præfracte  
 destruat. Noli in oculis hominum vicisse  
 videri, sed potius Regi victoriæ honorem  
 concede, & gloria tua sit bona coram  
 Deo conscientia.

Ego quidem fideliter & per amice tibi  
 serviam, non ignarus, quod fortunas tuas  
 & te ipsum quasi victimam pro Fratri-  
 bus tuis offeras. Verum arte opus erit;  
 quare me tibi omnino contrarium fingam.  
 Si enim me amicum tuum profitear, nemo  
 Mm 2                      fidem

**Sæcul. XII.** *fidem habebit, nemo me audiet. Utilior*  
**A.C. 1166.** *tibi erit pia simulatio. Interim solatium*  
*cape, Rege in has regiones adveniente,*  
*opportuni, qui te amant, non nihil*  
*tentabunt. Quin etiam Henricus mol-*  
*lescere dicitur, quia timet, ne Franci,*  
*vicini, aut ipsius etiam subditi quidquam*  
*moveant, & præterea, quia Papam sibi*  
*indignari non nescit. In fine epistolæ*  
*Arnulphus Thomam monet, ut hæc ar-*  
*cana nemini mortalium aperiat.*

## §. XXII.

*Canonizatio Caroli Magni.*

*ap. Bol. 28.*  
*Jan. to. 2.*  
*p. 888.*  
*Chro Gaufr.*  
*Vosiens.*  
*p. 314. Chr.*  
*Ademari*  
*p. 169.*

Fridericus Imperator, Aquisgrani Co-  
 mitia generalia ad Natalem Domini  
 anno millesimo centesimo sexagesimo  
 quinto celebrans, rogatus ab Henrico  
 Rege Angliæ, consentientibus idque  
 suadentibus omnibus Optimatibus tam  
 Sæcularibus quam Ecclesiasticis, corpus  
 Imperatoris Caroli Magni de terra le-  
 vari iussit. Ad eum enim Catalogo Sancto-  
 rum inscribendum conventum hunc  
 convocaverat; quod vigesima nona De-  
 cembris peractum. Idque Fridericus Im-  
 perator in Bulla sua aurea octava Januarii  
 anno millesimo centesimo sexagesimo  
 sexto data testatum facit. Quidam il-  
 lius ævi Scriptor memorat, corpus Caroli  
 Magni in Lypsanotheam auream gem-  
 mis distinctam missum fuisse, & Festum  
 eius

ejus eo more quo aliorum Sanctorum auctoritate Archiepiscopi Colonienſis celebrari cœptum. Ceterum corpus Caroli Magni jam ante, nempe anno milleſimo ab Ottone III. Imperatore inventum fuerat. Quamvis vero incorruptum viſeretur, & jam tunc miracula ad ejus tumulum edi dicerentur, necdum ejus Feſtum agebatur, ſed dies anni-verſarius, ut pro aliis defunctis, ſervabatur. Non ergo prius quam poſt hanc Friderici Aenobarbi Canonizationem Carolus Magnus in quibusdam privatis Eccleſiis cultu publico tanquam Sanctus honorari cœpit. Et licet hæc Canonizationis auctoritate Antipapæ attentata ſit, legitimi tamen Pontifices quidquam contra moviſſe non leguntur.

Sup. Lib.  
LVII.  
§. ult.

Sup. Lib.  
XLVI. §. 91

§. XXIII.

*Thomas Legatus in Anglia.*

Postquam Alexander Papa Romam per- venit, Archiepiscopum Cantuarien- sem majore auctoritate muniturus, eum Legatum suum in tota Anglia, excepta Diœcesi Eboracensi, constituit. Data est hæc epistola Anagninæ septima Decembris anno milleſimo centeſimo ſexa- geſimo quinto; quam ubi Thomas ac- cepit, Episcopis Herfordienſi & Vigor- nienſi datis literis injunxit, ut ſuam

I. ep. 115.  
Eſc.  
V. Pag. an.  
1166. §. 12.  
Eſc.

Mm 3

Legat-



Sæcul. XII.

A.C. 1166.

Legationem cunctis notam facerent. Cum igitur hoc nuncium ad Episcopum Londinensem in Festo Conversionis S. Pauli, illius Ecclesiæ Cathedralis Patroni, nempe vigesima quarta Januarii anno millesimo centesimo sexagesimo sexto, pervenisset, consternatus Regi scripsit in hæc verba: *Ubi Papa jubet, non datur appellatio, nec aliud remedium. Obediendum est. In Festo S. Pauli Londini Sacris operanti ab homine penitus ignoto literæ Pontificis mihi redditæ sunt, quibus Domino Archiepiscopo Cantuariensi Legationem in tota Anglia, excepta Diœcesi Eboracensi, concedit & confirmat. Nobis præcipitur, ut ei tanquam Sedis Apostolicæ Legato obtemperemus, eoque qui tuo jussu, Archiepiscopo absente, fructus Beneficiorum Clericorum ipsius perceperunt, ad illos restituendos intra duos menses sub pœna excommunicationis compellamus. Mibi quoque injungitur, ut a meis Collegis Denarium S. Petri exigam, literasque Archiepiscopi ad ceteros Episcopos transmittam. Quapropter pedibus tuis subjecti rogamus supplices; ne Episcopos tuos fœde proteri patiaris, per mitte, ut mandatis Papæ morem geramus, jube Denarium S. Petri, & Clericis redditus suos reddi, ab Episcopis postula, ut si in epistolis Archiepiscopi quodquam gravamen contra Regni consuetudines*

repe

reperiatur, ad Papam vel ad Legatos, ad nos mittendos, appellent (\*).

Sæcul. XII.  
A. C. 1166.

Rex Angliæ in Normanniam trajecit anno millesimo centesimo sexagesimo sexto, ubi tertia & quarta Septimana post Pascha, Cenomani Præsulum Baronumque Comitibus celebratis, a Rege Franciæ rogatus, ejusque exemplum secutus, pecunias ad succurrendum Terræ Sanctæ colligi jussit. Nempe quod Alexander Papa in Concilio, Remis anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, post Concilium Turonense celebrato, decreverat. Ceterum hoc tributum omnis conditionis hominibus, Clericis, Nobilibus, populo, atque ad annos quinque, imperabatur. Hoc primum, quod memini pro Christianis in Terra Sancta degentibus pecuniæ collectæ exemplum occurrit.

Gervas.  
Chron. 1166.

Pagi. 1164  
n. 23.

Inter hæc S. Thomas Pontiniaci versabatur, ubi solitudinis beneficio usus, totum se disciplinæ Regulari dabat. Divino officio expleto, vix unquam e manibus S. Scripturam dimittebat. Cum monachis ad laborem manuum exhibat, metebat,

vit. II. 16.

Gervas. ibi.

Mm 4

bat,

(\*) De anno, quo Legationis munus S. Thomæ commiserit Alexander III. Papa Cardinalis Baronius & Antonius Pagi in sua Critica dissentiunt, ad annum Christi 1166. Fleurius Pagi consentit.

Sæcul. XII.  
A. C. 1166.

ep. Moger.  
pag. 503.

I. ep. 65.

bat, foenum suo tempore cum aliis cumu-  
labat, etsi vires pœne deficerent. Ne  
tamen Ecclesiæ suæ curam penitus ab-  
jiceret, anno exilii sui secundo, Salutis  
humanæ millesimo centesimo sexagesimo  
sexto, ad Regem Angliæ per Abbatem  
quemdam Ordinis Cisterciensis episto-  
lam misit lenissimam, in qua præmonet,  
sibi per officium Pastoris nefas esse si-  
lentio Ecclesiæ suæ mala premere, &  
hortatur Regem, ut Ecclesiæ Anglicanæ  
libertatem redderet. Etsi hæc Epistola  
Regis animum exasperasset, dedit Archi-  
episcopus etiam alteram duriore stilo,  
in qua, quæstionis summa non discussa,  
Dignitatis Sacerdotalis vim deprædicat,  
& Regi iram Dei comminatur. Sed  
nihil effecit; quin etiam Monachi eam  
deferentes admodum contumeliose de-  
pulti.

§. XXIV.

*Conventus Chinonensis.*

I. ep. 140.

Attamen Rex Angliæ Chinone in Terri-  
torio Turonensi cum Principibus &  
Consiliariorum fidissimis studiosus de-  
liberare & inquirere, quid Archiepi-  
scopo opponendum esset. Ibi inter lacry-  
mas & suspiria amarissime conquereba-  
tur, quod Cantuariensis sibi corpus &  
animam auferret, ipsi autem, nempe  
omnes præsentés, homines essent ve-  
cordes

cordes & proditores, qui Regem suum ab infestatione unius viri expedire nolent. Hæc loquentem Archiepiscopus Rotomagensis, qui etiam aderat, aliquantum commotus, corripuit lenibus tamen, ut Vir erat mitissimi ingenii, verbis usus. Nihil vero acerbius afficiebat Regem, quam literæ Archiepiscopi Cantuariensis sibi & Imperatrici matri suæ redditæ, timebatque, ne ille propediem Legati Pontificii potestate Interdictum in Regnum suum & in se ipsum excommunicationis sententiam pronunciat. Episcopus Lexoviensis, ut Regem his angustiis eriperet, ait, unicum superesse remedium, si imminentem sententiam Appellatione objecta amoliretur. Ita Rex, qui Appellationem ad Papam per avitas consuetudines Regni sui vetitam esse affirmabat, ad amplectendum hoc ipsum remedium compellebatur.

Ut igitur quod statuerant exsequerentur, Episcopi Lexoviensis & Sagiensis itineri se accinxerunt, Archiepiscopum Cantuariensem adituri, eique Appellationem indicaturi, quæ Sententiam usque ad Octavam Paschæ anni sequentis suspenderet. Cum ipsis Archiepiscopus Rotomagensis quoque profectus est, conciliator pacis, ut ajebat, futurus. Verum cum Pontiniacum pervenissent,

Mm 5 non

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

non habuerunt ibi Thomam, qui Suesionem abierat, ibi Suffragia S. Virginis, S. Draufini, & S. Gregorii, cujus Reliquiæ ibi asservari credebantur, imploraturus. Ita se se præmuniebat ad pugnam, quam cum Rege Angliæ initurus erat, ferendo in eum Censuram; nam S. Draufinum Pugiles, pridie quam decertarent, invocare solebant. Cum S. Thomas tres noctes in Ecclesiis horum Sanctorum orando consumsisset, altera die post Ascensionem iter ingressus est, Veze-liacum petiturus, ubi in Festo Pentecostes excommunicationem contra Regem suosque pronunciaret. Sed Feria sexta ante Festum certior fit, Regem Angliæ in gravem morbum incidisse, misisseque ad Regem Franciæ nuncium, qui ipsum excusaret, quod ad colloquium (id enim Rex Angliæ a Rege Franciæ expetierat) venire non posset. Hoc adjunctum Thomam ad differendam Regis Angliæ sententiam, quod aliunde multi suadebant, coegit.

§. XXV.

*Thomas Joannem Oxoniensem excommunicat.*

In Festo Pentecostes, quod hoc anno millesimo centesimo sexagesimo sexto in diem duodecimam Junii incidebat,  
Thomas

Thomas Vezeliaci in Ecclesia S. Magda-  
lenæ, præfente ex diversis nationibus  
magna populi frequentia, suggestum  
conscendit, & postquam dixisset ad  
populum, Joannem Oxoniensem de-  
nunciavit excommunicatum, quod Schis-  
mate se involvisset, cum in Conventu  
Herbipolensi se juramento Imperatori ob-  
strinxisset, quod cum Archiepiscopo Co-  
loniensi Schismatico communicasset, &  
Decanatum Saresberiensem, Papa ne-  
quicquam prohibente, usurpasset. Præ-  
terea nominatim excommunicavit Ri-  
chardum Archidiaconum Pictaviensem,  
cum quinque aliis, & generatim omnes  
illos, qui deinceps bona Ecclesiæ Cantua-  
riensis invaderent. De Rege commemo-  
ravit, quod eum admonuisset; satisfaci-  
endum esse Ecclesiæ, ad pœnitentiam per-  
agendam iterum invitavit, comminatus  
se post breve temporis spatium in eum ex-  
communicationis sententiam pronuncia-  
turum. Tandem publice damnavit Decre-  
tum, in quo ita dictæ Consuetudines  
Angliæ scriptæ erant, illos excommunica-  
tioni subjacere declaravit, qui in poste-  
rum hujus Decreti auctoritatem obten-  
derent, & Episcopos a promisso eas ser-  
vandi absolvit. Data deinde epistola,  
omnes Provinciæ Cantuariensis Epi-  
scopos eorum certiores fecit, quæ modo  
ipse egisset, præcepitque Episcopo Londi-  
nensi,

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

1. ep. 96.

Sæcul. XII. nensi, ut ceteris epistolam suam com-  
 A C. 1166. municaret. Scripsit quoque Archiepi-  
 scopo Rotomagensi, omniaque Papam  
 edocuit, petens, ut acta a se confirma-  
 ret. Interea Rex Walterium Docto-  
 rem *de Insula* in Angliam misit, literas  
 de his, quæ Chenone acta erant, de-  
 laturum, & Anglos monituum; Ap-  
 pellationem interpositam esse, ipsi portus  
 custodirent, Clerici autem Archiepi-  
 scopo obedire non præsumerent.

ep. 143. 138.

§. XXVI.

*Concilium Londinense.*

**H**aud diu post Episcopi, jubente Rege,  
 Londini cum quibusdam Abbatibus  
 congregati appellare contra Archiepi-  
 scopum decreverunt. Primi appella-  
 runt Episcopi Londinensis & Sares-  
 beriensis. Exoniensis \* eo adduci non  
 potuit. Rosensis excusari se rogavit ob  
 morbum, quem omnes simulari credide-  
 runt. Episcopus Wintoniensis quoque  
 se excusavit, rescribens in hæc verba:  
*Vocor a Summo Pontifice, a quo appel-  
 lare nolo.* Credebant Episcopi, ipsum  
 a Papa mandatum accepisse, ut veni-  
 ret; sed ipse innuere volebat, se, cum  
 ad ultimam senectutem pervenisset, jam  
 jam ad tribunal Jesu Christi vocandum  
 esse. Is enim erat Henricus, Stephani  
 Regis frater, qui Sedem Wintoniensem  
 tunc

\* Excester.

tunc annis triginta septem tenebat. Sæcul. XII. 3  
 Ceteri Episcopi Appellationem suam ad A. C. 1166.  
 Papam ipsi Pontifici & Archiepiscopo  
 insinuarunt, duabus epistolis, nomine  
 Suffraganeorum Sedis Cantuariensis, da-  
 tis, quarum hæc est Summa.

## §. XXVII.

*Epistola ad Papam.*

In epistola ad Papam dicunt: *Meminisse*  
*te credimus, Pater, te jam dudum Re-* I. ep. 128.  
*gem, Dominum nostrum, per literas,* to. 10. Conc.  
*Episcopis Londinensi & Herfordiensi* p. 447.  
*commissas, commouisse, ut non nullos*  
*abusus in Regno suo tolleret. Is mandato*  
*tuo debita veneratione suscepto, respondit,*  
*se hos abusos emendaturum & Ecclesiæ*  
*Regni sui pariturum iudicio. Nam Rex*  
*piissimus nihil magis in votis habet, quam*  
*scandala in Regno suo abolere, & per-*  
*petuam pacem conservare; quam cum*  
*Clericorum quorundam insolenti audacia*  
*turbari videret, debitam Ecclesiasticorum*  
*ordini reverentiam exhibens, reos ad Epi-*  
*scopos Judices detulit. Ii, limites Juris-*  
*ditionis suæ non egressi, homicidium, verbi*  
*causa, sola Clerici delinquentis depositione*  
*punierunt. At persuasum sibi habet Rex,*  
*pœnam banc longe minorem esse flagitio,*  
*nec stabiliendæ paci publicæ satis prospici,*  
*si Lector vel Acolytus latro, nihil nisi*  
*muneris sui amissionem timeat. Clericis*  
*ita-*



Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

itaque statutas a Cælo leges propugnare conantibus, & Rege pacem confirmare volente, Sancta quædam oborta est contentio. Hinc Rex noster antiquas Regni sui Consuetudines, a Viris Ecclesiasticis sub Antecessoribus suis servatas, conscribere & exhiberi iussit, ne super his lites in posterum orirentur. Factum quod Rex præcepit; & hæc denique ejus contra Ecclesiam Dei, toto terrarum orbe declamata, crudelitas, hæc persecutio est.

In his tamen Consuetudinibus si quid periculosum animæ, si quid ignominiosum Ecclesiæ continetur, Rex noster Sanctitatis tuæ admonitione & auctoritate motus se correcturum esse jam diu pollicitus est, & constantissime pollicetur. Tandem optatum litis finem pridem obtinuissimus, nisi iram Regis jam pæne extinctam Archiepiscopi Cantuariensis obstinatio iterum suscitasset. Nam ipse cum Principem monitis emollire, ei mansuetudine superare debuisset, nuper tristibus & terribilibus literis dure satis & crude aggressus est, in Regnum ejus Interdicti pœnam & in ipsum excommunicationis sententiam comminando. Minis quoque atrocibus superaddita sunt graviora; quosdam namque, quibus Rex familiariter adsuevit, primarios Regni Proceres, fidissimos Consiliarios, & regni negotia tractantes, nec vocatos, nec convictos, nec con-

cesso

cesso ad defensionem tempore, excommuni-  
 cationis sententia innodavit, eamque pub-  
 lica denunciavit. Adjecit quoque Tho-  
 mas, ut Collegam nostrum, Episcopum  
 Saresberiensem absentem & indefensum,  
 nobis insciis, ab Officio Episcopali su-  
 spenderet. Quid ex Judicii forma tam  
 præpostera consequi posse putabimus, præ-  
 sertim cum iniquissima vivamus tempora?  
 nisi ut pax & concordia, qua Regnum  
 & Sacerdotium usque modo cobærent,  
 abrumpatur, & nos cum commissis nobis  
 Clericis in exilium ejiciamur, aut a ve-  
 stra, quod absit! Communionem recedentes,  
 in abyssum Schismatis devolvamur? Ut  
 igitur tantis malis nos opponamus, ad  
 Sublimitatem tuam contra Domini Can-  
 tuariensis mandata, vel Regi vel Regno  
 ejus vel nobis aut nobis commissis Ecclesiis  
 quocumque demum modo nocentia, & voce  
 & scripto appellavimus, & Appellationi  
 terminum Ascensionis Dominicæ diem de-  
 signavimus. Notandum, quod Appel-  
 lationis terminus ad integrum prope an-  
 num remotus fuerit.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1166.

I. ep. 108.

§. XXVIII.

*Epistola ad Thomam.*

In Epistola ad Archiepiscopum, ejus  
 Suffraganei dicunt; *Sperabamus, Pa-  
 ter, fore, ut quæ tuo subito & inexpectato in  
 Regionem remotam discessu tur-*  
*basti,*

I. ep. 126.

Sæcul. XII.

A.C. 1166.

*basti, tua humilitate & prudentia reparares. Solatium ex eo capiebamus, quod fama ad nos deferebat, te nil altum sapere, sed sponte susceptum paupertatis omni modeste sustinere, lectioni & orationi vacare, præteriti jacturam temporis jejuniis, vigiliis lacrymisque redimere. Sperabamus, te hisce moribus a cælo gratiam impetraturum esse, per quam Rex offensus & iratus tibi ignosceret, ac jurgii oblivisceretur. Jamque amici tui aditum ad reconciliandum te Regi pervenerant. Nunc vero, malum! afferitur, quod mandatum publicæ lucis feceris contra eum, ac omni salutatione & amicitia professione omissa vel Interdictum vel excommunicationis fulmen mineris. Quod si exsequeris, actum est de pace. Viri autem prudentis est nihil agere, nisi prius finem respexerit.*

.801. 93. 1

.801. 93. 1

*Pensa igitur finem, ad quem tendis, & an ista via ad eum perventurus sis. Unde suademus tibi, Patri nostro; ne labores laboribus, ne injurias superadde injuriis, sed omissis minis patientiæ & humilitatis specimen nobis præbe. Causam tuam Dei Misericordiæ & Regis tui clementiæ committe. Præstabat, paupertatem tuam ultro toleratam laudari, quam a plurimis ingrati animi reum agi. Nam omnium mentibus alte insidet, quam benigne Rex noster te, mediocri fortu-*

fortuna obscurum, ad tantum Dignitatis Sæcul. XII.  
 fastigium evexerit, quanto favore & A. C. 1166.  
 familiari amore te dignatus fuerit, quod  
 omnes ditionis suæ Regiones, quæ ab O-  
 ceano usque ad montes Pyrenæos porri-  
 guntur, tuæ potestati subjecerit, ita ut  
 hos solos beatos opinio communis censeret,  
 qui tibi placere potuissent. Tum, ut in  
 gradu firmiore te collocaret Rex, ad eam  
 Dignitatem Ecclesiasticam, qua modo  
 fulges, te promovit, frustra repugnante  
 matre sua Imperatrice, Regno obstrepen-  
 te, & ingemiscente Ecclesia. Parce igitur  
 famæ, parce gloriæ tuæ, & si victo-  
 riam quæris, Regem tuum bumilitatis  
 studio, & charitatis fervore vince.

Si consilia nostra tibi vilescunt, sal-  
 tem amore Papæ & Ecclesiæ Romanæ fac,  
 quod suademus. Quid enim, (cujus rei  
 vel sola cogitatio terret) si Rex, cujus  
 nutum tot Regna, tot populi sequuntur,  
 Papam plus tibi quam sibi faventem ab-  
 jecerit? an nescis, quot precibus, quot  
 donis, quot promissis ad defectionem ex-  
 ulceratus Principis animus sollicitetur?  
 in petra hac usque firmus perstitit, &  
 totum quod mundus offerre potest alta  
 mente calcavit, sed timendum, ne quem  
 divitiæ & hominum gloria hætenus vin-  
 cere nequiverunt, animi indignatio fle-  
 stat. Quod si tua culpa evenerit, haud  
 dubie deflebis, sed seræ erunt lacrymæ.

Hist. Eccles. Tom. XVII.

Na Re-

Sæcul. XII. *Revoca igitur, Sancte Pater, statutum*  
A.C. 1166. *Papæ, Ecclesiæ Romanæ, & si bene per-*  
*pendas, tibi ipsi perniciosum. Quod si*  
*aliqui, quos apud te babes, alta sapiunt,*  
*& hortantur, ut experiaris, quid possis,*  
*ac vim Sacerdotalem in Regem & in Re-*  
*gnum exeras; timenda quidem est Sacra*  
*potestas, sed solis peccatoribus, & satis-*  
*facere nolentibus. Dominum vero Re-*  
*gem nostrum, quamquam non dicimus,*  
*eum nunquam peccasse, semper Deo satis-*  
*facere paratum magna fiducia affirmamus,*  
*qui cum a Deo constitutus sit, ut popu-*  
*lorum paci consulat, eadem jura, quibus*  
*Antecessores sui usi sunt, sibi intacta*  
*relinqui vult, & exigit. Si inter ipsum*  
*& te ideo oborta est contentio, Papæ pro-*  
*misit, se iudicio Ecclesiæ Regni sui pari-*  
*turum. Quod promisit factis implere*  
*vult, & non solum satisfacere, sed et-*  
*tiam, si Iustitia petat, pignora dare non*  
*recusat. Quæ cum ita sint, quo jure,*  
*qua lege, quo Canone, Principem colla-*  
*Christi jugo subdentem aut Interdicto ad-*  
*stringes, aut securi Evangelica, quod ob-*  
*sit, a Communione Ecclesiæ præcides?*  
*non impetu ferri, sed iudicio regi Sacer-*  
*dotem oportet. Tum Episcopi conque-*  
*runtur, sicut superius in Epistola ad Pa-*  
*pam data, de sententia Suspensionis in*  
*Episcopum Saresberiensem lata. Et*  
*tandem, se ad Sedem Romanam appel-*  
*lasse,*

lasse atque constanter appellare, signifi- Sæcul. XII.  
cant. A. C. 1166.

## §. XXIX.

*Thomæ Responsum.*

Sanctus Archiepiscopus respondit, data I. ep. 127.  
prolixa Epistola, in cujus exordio di-  
cit, se haud credere, illas literas omnium  
Episcoporum, quorum nomina præfer-  
ret, voluntate ad se datas fuisse, sed po-  
tius totum Scriptum auctoritate Regis  
extortum. Exprobrat teporem, in de-  
fensione Ecclesiæ & veri sui emolumenti,  
ac etiam ignaviam, qua se Archiepisco-  
pum suum in persecutione pro causa  
communi toleranda desererent. Dein-  
de ad rei summam transiens, suum ex  
Anglia discessum defendit, affirmatque,  
id post vim sibi Northamptoni injuste  
illatam fuisse necessarium, si vitam suam  
in tuto esse vellet, & Appellationem  
suam ad Papam prosequi. Tum sub-  
jungit: *Si fuga mea turbarum occasio* p. 195.  
*extitit, ille profecto earum causa fuit, qui*  
*me ad fugiendum compulit. Ceterum*  
*Curiam Papalem adivi, quantum ego &*  
*Ecclesia mea læsa fuisset, & rationem*  
*Appellationis meæ exposui. Nemo venit,*  
*nemo mihi respondit, nemo quidquam*  
*contra me movit. Sed dum in illa Curia*  
*expecto, adfuere, qui Regis nomine præ-*  
*fectis & domesticis meis prohibuerunt, ne*  
Nn 2 mibi

Sæcul. XII. *mibi in quacunque re ad regimen seculare pertinente obedirent, aut mibi meis*  
A.C. 1166. *ve, in scio Rege, necessaria ad vitam sustentandam præberent. Nulla sententia pronunciata, nullo jure, contempta Appellatione, ego rebus omnibus exutus, & Ecclesia mea bonis suis spoliata est. Clerici, Laici, mulieres, & infantes, incunis jacentes, proscripti. Census Ecclesiæ Fisco addicti, & pecunie pars una Regi, altera tibi, Frater mi, Episcopo Londinensis, & Ecclesiæ tuæ cessit, si vera dixerunt, qui hæc mibi retulerunt. Quod si ita se habeat, præcipio tibi in virtute obedientiæ; ablata intra dies quadraginta, postquam mea reddita tibi fuerit Epistola, restitue. Quo jure hæc usurpatis? an ideo, quia appellastis? capite tandem, quanto periculo & vos & Ecclesias vestras exponatis, si qui bona Ecclesiarum rapuerunt, sub hoc scuto tutelam inveniant.*

p. 197.

*Et inferius: Dicitis electionem meam ad Præsulatum murmurante Regno & ingemiscente Ecclesia peractam esse. Sed consulite conscientiam vestram, in memoriam revocate Electionis formam, omnium, quibus id juris erat, suffragium, consensum Regis per filium suum presentem & Legatos suos datum. Si quis fuit, qui cum eligerer, reclamavit, edicite & nominate, relegite etiam Epistolas vestras,*

stras, quibus Rex & vos Pallium mihi dari petiistis. Si cum honor Archiepiscopatus mihi obtigit, quemquam invidia torquebat, & cruciabat ambitio, ignoscat illi Deus, sicut ego ignosco, hoc peccatum, quod bodieque manifestare non erubescit. His verbis Thomas Episcopum Londinensem perstringit. Tum prosequitur: Dicitis Regem me de conditione vulgari ad tantæ dignitatis apicem promovisse. Fateor; Regibus non sum ortus, sed quicumque sim, degeneres mores non exhibeo. Forte in tugurio natus sum, at nihilominus priusquam me Rex ad serviendum sibi evocaret, honestam, quod omnes scitis, vitam ducebam. S. Petrus e piscatore creatus est Apostolus; hujus non vero Augusti Cæsaris successor sumus. Ingrati animi accusatis me. Verum intentio animi peccatum vel facit vel tollit. Et ego quidem obsequium Regi præstare me credo, etiam invito, cum eum a peccato metu censurarum retrabo, postquam paternis monitis, quæ rejecit, nihil effeci. Tandem multo magis timeo, ne ingratus audiam in verum Dominum meum JESUM Christum, qui mihi iram suam comminatur, nisi potestatem ab eo acceptam ad corrigendos peccatores adhibeam.

Objicitis mihi Ecclesiæ Romanæ periculum & minas, ne Rex ab ea secedat.

Nn 3

Absit,

Sæcul. XII.

A.C. 1166.



Sæcul. XII. Absit, ut unitatem disrumpat, propter  
 A.C. 1166. commodum temporale, Rex tantus, cuius  
 p. 199. crimen eo atrocius foret, quo plures ani-  
 mas secum in ruinam traheret. Deus  
 nolit, ut cuiquam Fidelium ne dicam E-  
 piscoporum ultima perfidia in mentem ve-  
 niat.

S. Thomas. Quin etiam cavete, ne vel sola  
 hæc mentio vestra in multorum animos  
 venenum spargat, & arcana cordis vestri  
 prodat. Nihil autem est cur Ecclesia  
 timeatis, quæ persecutionibus roboratur,  
 sed vobismetipsis timete, qui Matri ve-  
 stræ perniciem machinamini.

Quod vero ad suspensionem Episcopi  
 Saresberiensis & excommunicationem  
 Joannis Oxoniensis spectat, neminem ve-  
 strum ignorare existimo, juxta Canones  
 in criminibus publice notis ordinem Ju-  
 dicii non esse necessarium; nunc vero, quis  
 nescit, Episcopum istum Joanni Oxoniensi  
 Decanatum Ecclesiæ suæ, spreto Papa  
 meoque præcepto, contulisse?

p. 202.

Tum ostendit S. Thomas, Appella-  
 tionem Episcoporum esse irritam, cum  
 nemo ipsis malum intenter, eorumque  
 officio & bono repugnet, nomine Regis  
 contra Ecclesiæ libertatem appellare.  
 Tandem causas affert, cur Episcoporum  
 judicio se submittere non possit, in cau-  
 sa inter se & Regem controversa. *Inpri-  
 mis ideo, inquit, quia vos perinde ac me  
 ipsum Regi adversari oportet, cum de com-  
 muni*

p. 205.

muni Ecclesiarum salute agatur, tum etiam, quod non legamus, quod inferiores in Superiorem suum, præsertim Suf-  
 fraganei in suum Archiepiscopum Judio-  
 cio agere & sententiam ferre valeant. Inculcat, restituenda esse bona Ecclesiæ Cantuariensis, & in fine hortatur Episcopos; ut Regem ad mentem reducere atque ad pœnitentiam excitare fatagant.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1166.

S. Thomas de eadem re ad Episcopum Londinensem, qui sibi sigillatim scripserat, Epistolam dedit. In ea primum carpit, quod sibi ipsi non constet, cum initio Epistolæ suæ se obedientem profiteatur, & in fine ab iis, quæ ipsi præcipiebantur, appellet. Præfixa est autem, inquit, huic Appellationi tam longe remota dies, ut induciæ integrum pœne annum complectantur; sicque tempus exilii mei, Ecclesiæ calamitates, & periculum, in quo anima Regis versatur, diutissime protrahatur. In rei summa ad ea, quæ Episcopus ipsi objiciebat, eadem ac in superiore Epistola respondet. Cumque Episcopus scripsisset, Regem Ecclesiæ satisfacturum, Archiepiscopus respondet & interrogat: *Quæso, quis sensus verbis tuis tribuatur? ejiciuntur ex Anglia, ut oculis tuis vides, viduæ, orphani, innocentes, qui per ætatem causam dissidii inter me & Regem ne qui-*

I. ep. 108.

Sæcul. XII. *dem cogitatione assequi possunt, exilio*  
 A.C. 1166. *damnantur Clerici, redivitibus suis spo-*  
*liantur, in modum indignum babentur,*  
*familiares mei & domestici in vinculis*  
*sunt, patrimonium Ecclesiæ Cantuarien-*  
*sis, Matris tuæ, diripitur. An hoc tibi*  
*est satisfacere, ubi malum non modo non*  
*tollitur, sed calamitates in dies cumu-*  
*lantur? Tandem excitat Londinensem,*  
 ad suggerendum Regi, ipsum Episcopo-  
 rum Judicem non esse.

## §. XXX.

*Thomas Pontiniaco expellitur.*

*Gerv. ann.*  
 1166. *vit. 11.*  
 c. 17.  
 Postquam Pars utraque Chinone &  
 Londini appellasset ad Papam, tam  
 Rex quam Archiepiscopus nuncios Ro-  
 mam miserunt. Tandem vero Rex per  
 nuncios suos a Papa obtinuit, ut duos  
 Legatos a latere mittere statueret, qui  
 negotium pacis inter Regem & Archi-  
 episcopum tractarent. Inter hæc Rex  
 Angliæ, missis ad Capitulum generale  
 Cisterciensium minacibus literis, conque-  
 rebatur, quod Thomam, hostem suum,  
 in quamdam Ordinis sui domum rece-  
 pissent, & prohibebat, ne eum apud se  
 delitescere paterentur, nisi ea omnia,  
 quæ in Regiis ditionibus tam citra quam  
 ultra mare possiderent, perdita vellent.  
 Capitulo igitur soluto, ipse Abbas Ci-  
 sterciensis, Episcopo Parmensi, quondam  
 illius

illius Ordinis monacho, & quibusdam Sæcul. XII.  
A.C. 1166.  
 Abbatibus comitantibus, Pontiniacum  
 venit, ac mandato, quod a Rege acce-  
 perant, exposito, dixit: *Domine! non  
 ideo tamen Cistercienses te expellunt, sed  
 rogant, ut cum sapientibus viris, qui tibi  
 a consiliis sunt, deliberes, quid tibi agen-  
 dum.* Tum Archiepiscopus, postquam  
 suos ad consultandum vocasset, illico re-  
 spondit: *Illud profecto dolorem meum non  
 modice auget, si mei causa mali ali-  
 quid Cisterciensis Familia, quæ me tanta  
 caritate suscepit, pateretur. Quare  
 quocumque iturus sum ad nullam Ordinis  
 vestri domum divertam. Spero autem  
 me & exilii mei socios illi Domino, qui  
 volucres cæli pascit, curæ futuros.*

Ergo S. Thomas sine mora misso ta-  
 bellario Regem Franciæ, quid sibi de-  
 nunciatum fuisset, certiozem fecit. Ille  
 vehementer miratus, rem circumstanti-  
 bus communicat, exclamans: *O Sacra,  
 O Sancta Religio? in qua orbis parte in-  
 veniemus te? ecce homines, quos mundo  
 mortuos putamus, mundi minas pertime-  
 scunt, qui amore rerum temporalium,  
 quas contempsisse se dicunt, causam Dei  
 produnt, & propter Deum e patria sua  
 exturbatos repellunt.* Tum conversus  
 ad nuncium, quem Præsul miserat, *Do-  
 minum tuum meo nomine saluta, inquit,  
 & plena fiducia promitte, etiamsi a cun-*

Nn 5                      Etis

Sæcul. XII.

A.C. 1166.

*etis mortalibus ac etiam ab illis, qui sa-  
culo mortui videntur, deseratur, nunquam  
tamen fore, ut ego afflictum destituam.  
Quidquid contra eum Rex Anglia, Va-  
sallus meus, moliat, semper Thomam  
tuebor, nam propter Iustitiam persecu-  
tionem patitur. Indicet, quo in loco di-  
tionum mearum Sedem eligat, & faciam  
ut omnia necessaria præsto sint.*

Gervas. p.

vit. III. c. 18.

S. Præsul Senones se recipere statuit,  
tum quod urbs illa percommodo loco si-  
ta esset, tum quod civium mores lenis-  
simos sciret, & humanitatem in exte-  
ros perspectam haberet. Rex vero cui-  
dam viro inter Optimates eximio man-  
data dedit, ut Præsulem Pontiniaco Se-  
nones, ut optabat, cum trecentorum vi-  
rorum præsidio deduceret. Ergo S. Tho-  
mas circa Festum S. Martini anno mille-  
simo centesimo sexagesimo sexto Ponti-  
niaco discessit, postquam ibi per annos  
duos moratus fuisset. Cumque abitur-  
us valediceret, tota Congregatione la-  
crymas non tenente, subito & ipse flere  
largiter cœpit. Cui Abbas: *Non capio  
repentinam trepidationem in vivo, cuius  
constantia antea exploratissima fuit. Si  
desunt forte subsidia ad vitæ sustentatio-  
nem, ea pro vivibus suppeditabimus. Rem  
non tetigisti, respondit Præsul, sed Deus  
hac nocte genus mortis meæ mihi præ-  
monstravit; gladio percussus extinguar.*  
Et

Et Abbas: *Ain, Domine, Martyrem te futurum, qui tam delicate pascaris? Urgebatque, ut portentum sibi ostensum referret: Non referam, reposuit S. Thomas, nisi spondeas, te quoad ego vivam nemini mortalium hanc rem proditurum.* Quod cum Abbas promississet, Archiepiscopus dixit: *Visus sum mihi hac nocte in quadam Ecclesia versari, atque Religionis causam contra Regem Anglia, presentibus Papa & Cardinalibus, propugnare. Favebat Papa; at Cardinales adversabantur. Cum ecce derepente quatuor viri Equestri Ordinis adsunt, mihi, ex conspectu Papæ abstracto, in Ecclesia tamen a summo vertice, ubi corona Clericalis caput cingit, pellem crudeliter avellunt. Quod tanto dolore me oppressit, ut exanimari me crederem. Non tamen mortis modus me affligit, quin Deo gratias ago; sed sortem illorum, qui me secuti sunt, doleo.* Eandem visionem, addito silentii mandato, Thomas Abbati Monasterii de *Vauluirant*, aperuit, quam deinde S. Præsule e vivis sublato ambo Abbates vulgarunt.

Ubi Thomas Senones pervenit, honorifice & inter maximæ lætitiæ signa ab Hugone Senonensi Archiepiscopo, Clericis populoque exceptus, & in Monasterio S. Columbæ hospitium nactus, ibidem annis quatuor versatus est, ex  
Ludo.

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

c. 19.

Sæcul. XII. Ludovici Regis ærario liberaliter sustentatus. Quoties vero Ludovicus Senones divertebat, postquam orandi causa Ecclesiam adiiisset, Archiepiscopum invisebat, diu sermonem conferebat, & in arduis negotiis consilia dantem auscultabat, nempe virum in gerendis Reipublicæ rebus exercitatum.

A.C. 1166.

§. XXXI.

*Joannes Oxoniensis Romæ.*

Paucis post diebus, ex quo Thomas Archiepiscopus Senones pervenerat, ejus Legati, Roma reversi, certiores fecerunt, duos Cardinales sine mora venturos, qui pacem reducere conarentur. Joannes Oxoniensis quoque, a Rege Angliæ Romam missus rediit, fastuose jactans, Legatos Sedis Romanæ propediem adfuturos, ut Regis honorem & gloriam defenderent, Archiepiscopi contra arrogantiam retunderent.

Res vero ita se habebat: Joannes Oxoniensis, cum Romam pervenisset, ingentem vim auri, a Rege Angliæ sibi commissi, profudit, quo Cardinales corrumperet. Nec aurum perdidit, quippe complures pervertit; ea namque de re conquesti sunt exinde S. Thomas & Joannes Episcopus Pictaviensis, qui dicebat, in Regia audita fuisse recitari nomina illorum Cardinalium, qui munera repulissent,

II. ep. 21.

ep. 32.

sent, item illorum, quibus pecunia carior Sæcul. XII.  
 fuisset quam iustitia, & in numero fuis- A.C. 1166.  
 se, quantam quisque accepisset. Porro  
 inter illos, quorum integritas vinci non  
 potuit, fuere Cardinales Humbaldus &  
 Hyacinthus, quod ex Epistola S. Thomæ II. ep. 58.  
 ad eos data cognoscimus. Postquam  
 autem Joannes Oxoniensis Cardinalium  
 animos tentasset, omnem operam ad  
 fallendum etiam Alexandrum Papam stu-  
 diose convertit. Dicebat ad Pontificem,  
*facile posse concordiam redire inter Re-* I. ep. 164.  
*gem & Archiepiscopum, si quis esset, qui* II. ep. 102.  
*eam revocare conaretur*, promittebatque,  
 se nihil intentatum relicturum esse, quo  
 tam salutare negotium perficeret. Præ-  
 terea jurejurando affirmabat, se in Con-  
 ventu Herbipolensi nihil egisse, quod  
 Fidei Ecclesiæ, honori, commodisve Sum-  
 mi Pontificis adversaretur. Tum Papæ  
 Regis Angliæ Epistolam reddidit, in qua  
 rogabat Alexandrum, ut Oxoniensi Le-  
 gato suo, non secus ac si ipse coram lo-  
 queretur, fidem haberet. Itaque vi  
 mandatorum suorum Oxoniensis totam  
 litem inter Regem & Archiepiscopum  
 de Consuetudinibus Angliæ Judicio Pon-  
 tificis commisit. Ipse eas approbaret  
 vel damnaret, ipse reconciliationis cum  
 Archiepiscopo condiciones præscriberet.  
 Idque rursus jurejurando confirmavit,  
 ac tandem a Papa obtinuit, ut in hunc  
 finem



**Sæcul. XII.** finem Legatos mitteret. In iis vero  
**A.C. 1166.** quæ ad ipsum Joannem Oxoniensem per-  
 tinebant, non solum absolutionem ab  
 excommunicationis sententia, quam Ar-  
 chiepiscopus in eum tulerat, impetravit,  
 sed etiam illud, ut sibi confirmaretur  
 possessio Decanatus Saresberiensis, quem  
 ut saltem species sinceri animi esset, in  
 manus Pontificis resignavit. Ita acce-  
 pto a Papa in pignus amicitiae annulo  
 triumphanti similis, recessit.

## §. XXXII.

*Colloquium cum Mathilde Impe-  
ratrice.*

**I. ep. 53.** In itinere Oxoniensis ad Mathildem Im-  
 peratricem Regis Henrici Matrem di-  
 vertit, cujus animum in Archiepiscopum  
 Cantuariensem accensurus agebat; Ar-  
 chiepiscopum Cantuariensem, quæcum-  
 que ageret, cupiditate & ambitione du-  
 ci, Episcopos ei addictos amorem Ecele-  
 siasticæ libertatis obtendere, ut immen-  
 sas auferent divitias. *Reis enim, adji-  
 ciebat, qui in Anglia ad Episcopos de-  
 feruntur, non injungitur penitentia Ca-  
 nonica, sed pecunia extorquetur. Ex  
 eo autem cognoscere potes, Domina, Tho-  
 mam Spiritu Dei non agi, quod in Pon-  
 tificatus sui auspiciis non consiliarios &  
 familiares sibi adlegerit viros pios, sed  
 nobiles*

nobiles literatos, & Beneficia Ecclesiastica Sæcul. XII.  
 ca talibus hominibus, qui de ipso bene A. C. 1166.  
 meriti erant, quin etiam quibusdam, quos  
 flagitia publica infames reddiderunt, in  
 mercedem contulerit.

Tertia die postquam Joannes Oxo-  
 niensis Imperatricem adiisset, advene-  
 runt Legati S. Thomæ. Hi Epistolam  
 attulerunt, in qua rogabat, ut Regem fi-  
 lium suum ad concedendum Ecclesiæ  
 pacem exhortaretur. *Fieri quidem* I. ep. 52.  
*potest*, dicebat, *ut consuetudines istæ sub*  
*Regno sapientis filii tui tolerabiles vi-*  
*deantur, sed timendum, ne ipsius Succes-*  
*sores iisdem in perniciem Ecclesiæ abu-*  
*tantur.* Imperatrix primum hanc Epi-  
 stolam nolebat recipere; tandem vero  
 secreto apertam non a Clericis suis, sed  
 ab illis, qui eam attulerant, prælegi sibi  
 iussit. Qua audita, negavit, se unquam  
 aspera contra Archiepiscopum fuisse lo-  
 cutam, affirmans, filium suum ipsam ea  
 omnia celasse, quæ in rebus Ecclesiasti-  
 cis facturus esset, quod non ignoraret,  
 eam libertati Ecclesiasticæ favere. Ad-  
 jecit, se, si occasionem nancisceretur, ad  
 reducendam pacem omnibus viribus ad-  
 laboraturam.

Cum alia die Imperatrix Legatos  
 Archiepiscopi in conspectum admisisset,  
 omnibus familiaribus e suo conclavi di-  
 scedere iussis, præcepit Legatis, ut con-  
 sue-

Sæcul. XII. A.C. 1166. suetudines latine legerent, & gallice sibi  
interpretarentur. Approbat aliquas,  
 qualis ista erat, ne Regis Præfecti sine  
 ejus consensu excommunicarentur; sed  
 ceteras plerasque damnabat, præsertim  
 quod Episcopi compulsi fuissent ad pro-  
 mittendum, se eas servare velle, cum id  
 Reges ante filium suum non exegissent.  
 Dicebat tamen excusatione dignum esse  
 filium suum, Justitiæ amantem, & cul-  
 pam in Episcoporum nequitiam rejicie-  
 bat. *Nam Clericos ordinant, ajebat, si-  
 ne delectu, & nulli Ecclesiæ adscriptos;  
 unde paupertas & otium tantam Cle-  
 ricorum multitudinem ad perpetranda  
 pudenda flagitia impellit. Peracto cri-  
 mine, hujusmodi Clericus sine Titulo, cum  
 nullum Beneficium Ecclesiasticum habent,  
 nullo privari potest. Nec timet pœnam  
 corporis, a Judice Laico infligendam,  
 a qua ipsum Ecclesia immunem præstat,  
 nec etiam carcerem Episcopi, qui eum im-  
 punitum abire, quam suis sumptibus custo-  
 dire & alere mavult. Tum etiam Cle-  
 rico minori quinque vel sex Beneficia  
 conceduntur; hinc lites & jurgia de præ-  
 sentatione & collatione oriuntur. Tan-  
 dem Episcopi multas pecunias accipiunt,  
 & suadente avaritia peccata illorum, qui  
 ad ipsos deferuntur, dissimulant. Non  
 superfuit sermo Legatis, quem objectis  
 Imperatricis reponerent, cum cognosce-  
 rent;*

rent, ex his omnino fontibus malum profluere. Priusquam colloquendi finem facerent, quæsit Mathildis, quænam via ad reconciliationem pateret; cui Legati: *Ad concordiam perveniri posset, si Rege tuis aliorumque prudentum virorum consiliis acquiescente statueretur, ut, Episcoporum promisso & illo Decreto suppressis, nihilominus antiquæ Regni consuetudines ea moderatione servarentur, ne Judices Laici Privilegia & libertatem Ecclesiæ abolerent, & Episcopi illa libertate non abuterentur.* Non legimus hæc consilia ad effectum fuisse deducta. Mathildis vero Imperatrix anno sequente millesimo centesimo sexagesimo septimo decima die Septembris e vita discessit.

Sæcul. XII.  
A. C. 1166.

Roger. Hoved. p. 505.  
epith. Arnold. Lexov. f. 104.

§. XXXIII.

*Guilielmus & Otto Legati.*

Legati Pontificis, ad Regem Angliæ missi, fuere Guilielmus Papiensis, Cardinalis Presbyter Tituli S. Petri ad vincula, & Otto Cardinalis Diaconus Tituli S. Nicolai de Carcere, quorum potestas tantum ad terras, quibus Rex Angliæ in continente dominabatur, extensa, de cetero omnem plenitudinem auctoritatis, cujus Legati capaces sunt, complectebatur. Id dispicimus ex Epistola Papæ ad Regem Angliæ, & multo

II. ep. 2.

*Hist. Eccles. Tom. XVII. Oo ma-*

Sæcul. XII. magis ex illa, quam ad omnes ejus Regni  
 A.C. 1166. Episcopos dedit, in qua dicit; mittere  
 se hos Legatos, ut de Appellatione, quam  
 ep. 3. contra Archiepiscopum Cantuariensem  
 interjecissent, aliisque causis, de quibus  
 ipsis visum fuerit, cognoscerent, easque  
 Canonice definirent. *Veruntamen, in-*  
*quit, si quis eorum, quos Archiepiscopus*  
*excommunicationis Censura adstrinxit,*  
*de vita periclitetur, qui ex vobis ei pro-*  
*ximus fuerit, eum absolvere possit, jura-*  
*mento prius ab eo recepto, quod, si con-*  
*valescat, præcepto nostro in hac causa ob-*  
*temperaturus sit.*

Hæc Epistola in Palatio Lateranensi  
 II. ep. I. prima Decembris data. In Epistola au-  
 tem ad S. Thomam Papa solum dicit,  
 hos Legatos a se missos, ut litem inter Re-  
 gem & ipsum pendentem amice compo-  
 nerent. Hortatur, ut facilem se præ-  
 beat, pensatis temporis adjunctis, & Ec-  
 clesiæ suæ, jam diu Pastoris præsentia ca-  
 rentis, necessitate. Tum subjungit: *In*  
*his Cardinalibus plenam pone fiduciam,*  
*nec ullam de Guilielmo Papiensi suspicio-*  
*nem concipe; nam districte ei præcepimus,*  
*ut omnibus viribus ad te reconciliandum*  
*incumbat, cumque id nobis sancte pro-*  
*miserit, de viri sinceritate dubitare non*  
*licet.* Nempe non ignorabat Papa, hu-  
 jus Cardinalis fidem Thomæ merito sus-  
 spectam esse. In fine rogat Archiepisco-  
 pum;

pum; Comitem Flandriæ, ad succur- Sæcul. XII.  
rendum Ecclesiæ Romanæ necessitati, A.C. 1166.  
missis donis tanto Principe dignis, exci-  
taret.

## §. XXXIV.

*Fridericus Imperator in Italia.*

Inter hæc Alexander Papa, ex quo sub *Act. ap. Bar.*  
finem anni superioris redierat, Romæ *ann. 1166.*  
quietus sedebat. Verum mense No- *Otto More-*  
vembri hoc anno millesimo centesimo *na p. 842.*  
sexagesimo sexto Fridericus Imperator  
in Italiam denuo profectus est, Antipa-  
pam Paschalem seu Guidonem Cremen-  
sem, Alexandro Papa ejecto, intrusurus,  
quod in Conventu Generali ad Ronca-  
lias statutum fuerat. Fridericus, Rai-  
noldo Archiepiscopo Coloniensi & Chri-  
stiano Moguntino cum validis copiis  
præmissis ipse reliquum exercitum ad  
urbem Anconam admovet, quam Impe-  
rator Constantinopolitanus, magna pe-  
cuniæ vi in cives sparsa, in suam potesta-  
tem redegerat. Porro magno terrore  
agitabantur Romani; nam Germani cun-  
ctis circum civitatibus subactis, quia Ro-  
mam vi manifesta expugnare non pot-  
erant, auro incolarum fidem tentabant,  
nec frustra, quippe complures ex popu-  
lo largitionibus victi, Paschali Antipa-  
pæ & Friderico Imperatori obedientiam  
jurarunt.

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

Alexander Papa quoque ne sibi ipse deesset, Romanos hortabatur, fidem servarent, & urbes vicinas ad saniora reducere conarentur. Sed nihil efficiebat apud populum, qui in utramque partem amicitiam simulans, utramque fallebat. Ceterum in belli subsidium multum auri Alexander ex Sicilia acceperat; nam Rege Guilielmo primo, cognomento *Malo*, Panormi, ubi Regiam fixerat, ultima die Aprilis hoc anno millesimo centesimo sexagesimo sexto fatis functo, postquam annis duodecim regnasset, filium suum duodennem, Guilielmum, cognomento *Bonum* dictum, Successorem reliquerat. Porro Pater decedens Papæ quadraginta millia Esterlingorum scripserat, & filius anno sequente totidem miserat. Esterlingus jam tunc temporis notissima erat Angliæ moneta.

*Lup. i. ep.*

140.

*Cang. Gloss.*  
*Esterling.*

§. XXXV.

*Legatio Manuelis Imperatoris ad Alexandrum Papam.*

*Act. ap. Bar.* Sub idem tempus Manuel Comnenus Imperator Constantinopolitanus Jordanum, Roberti Principis Capuani filium, cui titulum *Sebasti* dederat, Romam misit. Is in conspectum Pontificis deductus, oblatis ad pedes ejus magnis muneribus, Imperatoris Manuelis auxilia adver-

adversus Friderici Imperatoris injusta conamina promisit. Affirmabat etiam, Manuelem velle Ecclesiam Græcam cum Romana tam arcto fœdere jungere, ac olim in antiquis sæculis fuisset, ut ita deinceps Latini Græcique unus populus Christianus sub uno capite diceretur. Petebat vero, quoniam optata faveret occasio, sibi a Papa Coronam Imperii restitui, quæ sibi, non autem Friderico Germano, jure deberetur. Ne belli nervus deesset, pollicebatur tantam pecuniæ copiam, totque exercitus & numero & disciplina militari valentes, qui non Romæ modo, sed toti Italiæ S. Petro subjiciendæ sufficerent. Alexander, quamvis Græci tanta promissa exequi posse haud viderentur, suadentibus tamen Cardinalibus, Legatos ad Manuelem Imperatorem Episcopum Ostiensem, Cardinalem SS. Joannis, & Pauli cum Jordano Sebasto mittendos esse censuit.

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

Hic concordiam inter Manuelem Imperatorem & Alexandrum Papam durasse videmus; quin Græci jactabant, Imperatorem suum, ut Friderici conatibus obstitere, Alexandrum Papam Sedi Apostolicæ restituisse.

vid. Allat.  
conf. II. n. 3.  
Cinnam. l. 5.  
n. 1. p. 133.



Sæcul. XII.  
A. C. 1166.

§. XXXVI.

*Constitutio de Festis.*

*Jus Græc.  
Rom. l. II.  
n. 5 p. 160.  
Theod Bals.  
in Nomocan.  
tit. 7. p. 79.*

Mense Martio eodem anno millesimo centesimo sexagesimo sexto, quem Græci annum a Mundo condito sexies millesimum sexcentessimum septuagesimum quartum numerabant, Indictione decima quarta, Manuel Imperator promulgavit Constitutionem de Festis, in quibus omnia Fora judicialia cessare deberent. Distinguebantur vero Festa primi Ordinis, in quibus nihil omnino eorum, quæ ad Judicium pertinent, agere licebat, ab illis, quæ dicebantur secundi Ordinis, in quibus ante & post Officium Divinum Judicialia tractari poterant. Omnia Festa in hac Constitutione nominata hodie in Menologio Græcorum leguntur, & notantur non nulla, quæ illa ætate Ecclesia Latina necdum celebrabat, sed postea recepit, qualia sunt Præsentatio S. Virginis vigesima prima Novembris, Conceptio, quam Græcina Decembris colebant, S. Annæ vigesima quinta Julii, Transfiguratio Domini Nostri sexta Augusti (\*). Ex eo autem, quod

(\*) Scripta est novissime vita S. Annæ ex quibusdam Revelationibus, quæ si ante aliquot sæcula prodiiisset, majorem forte fidem quam nostra ætate invenisset.

quod jam illa tempestate Græci Conceptionem S. Virginis celebraverint, non est inferendum, ipsos Conceptionem immaculatam credidisse, cum etiam Conceptionem S. Joannis Baptistæ vigesima tertia Septembris solemniter agant. Poth. de docthon Presbyter & Monachus Prumiensis in Germania, qui annis decem duodecimve ante hanc Græcorum Constitutionem scribebat, conqueritur, de recenti devotione, qua novella Festa in Monasteria invehebantur, dicebatque: *Quid vero causæ fuit, cur hæc Festa celebravimus, Festum Sanctæ Trinitatis, Festum Transfigurationis Domini Nostri? Aliqui, quod magis absurdum videtur, Festum Conceptionis S. Mariæ adjungunt (\*)*.

## §. XXXVII.

*Quæstio de Æqualitate Patris, & Filii.*

Eodem anno salutis millesimo centesimo sexagesimo sexto, Imperii Manu-  
 nelis vigesimo tertio, frequentissimum  
 O o 4 Conci-

Allat. Conf.  
 II. c. 12. n. 4.  
 Nicet. l. VII.  
 n. 5.  
 Cinnam. lib.  
 VI. n. 2.

(\*) Meminerit Lector eorum, quæ scripsit S. Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses de Conceptione & Festo S. Annæ, relata in Tomo nostro XVI. Lib. LXVIII. Num. LXX. At Vir Sanctus in fine hanc Quæstionem Auctoritati & Examini Ecclesiæ Romanæ relinquit.

Sæcul. XII. Concilium Constantinopoli celebrari ius-  
 A.C. 1166. fit, cujus occasio hæc extitit. Quidam  
 nomine Demetrius, natus Lampeæ, Asiæ  
 oppido, humanis scientiis leviter tinctus,  
 sed qui studio Religionis jugiter inten-  
 tus, de ea disputandi finem non faciebat,  
 cum bis terve ad Occidentales regiones  
 missus fuisset, multo audentior ex Italia  
 redierat. Is aliquando cum Manuele  
 Imperatore sermonem conferens, ait:  
*Germani dicere præsumunt, Filium Dei  
 simul esse minorem, simulque æqualem  
 Patri. Enimvero, respondit Imperator,  
 numquid nos quoque confitemur, Filium  
 esse Deum & Hominem, ideoque mino-  
 rem, quia homo est, & æqualem quia Deus  
 est? quoniam in hoc sensu Salvator dixit:*

*Joan. 14. 28 Pater major me est. Nec consentaneum  
 rationi esset, id de Divinitate accipere.  
 Quare homines in Germania bene crede-  
 re mihi videntur.* Demetrius autem  
 suæ opinioni pertinaciter inhærens, quod  
 Germani in fide errarent, haud longo  
 elapso tempore, librum Imperatori at-  
 tulit, in quo id ipsum scripserat, quem-  
 que ut sub terram defoderet Imperator  
 suasit, ne suo veneno complures Lecto-  
 res enecaret.

At Demetrius eo insolentius errorem  
 suum privatim & publice spargebat, li-  
 tigansque cum Episcopis & Diaconis,  
 multos seducebat; quin vehementer  
 contra

contra illos declamabat, qui Filium mi-  
 norem esse dicerent. Unde jurgandi  
 prurigo plures corripuit, nemo autem  
 Demetrio in faciem obfistere audebat.  
 Ipse Patriarcha Lucas Chrysobergus,  
 quamvis Demetrii errorem damnaret,  
 timide filebat. Tandem, postquam sex  
 annis tenuisset contentio, Imperator,  
 compluribus Episcopis ad sententiam Ca-  
 tholicorum revocatis, Concilium cele-  
 brari curavit, cui Lucas Patriarcha præ-  
 fuit, Athanasio Patriarcha Antiocheno,  
 Nicephoro Hierosolymitano, Stephano  
 Metropolita Cæsariensi in Cappadocia,  
 Nicolao Ephesino & pluribus aliis nume-  
 ro quinquaginta sex Episcopis præsentibus.  
 Qui errorem Demetrii propugna-  
 verant, non ignari quod Lucam Patriar-  
 cham haberent Adversarium, non nulla  
 accusationis capita contra eum in me-  
 dium afferebant, dicebantque, Lucam,  
 utpote virum Regimini Ecclesiæ neuti-  
 quam idoneum, deponendum esse. Sed  
 non tulit id petentes Imperator, præci-  
 piens, ut prius Quæstio de Doctrina Fi-  
 dei definiretur, & deinde, si videretur,  
 ad Actionem contra Personas procede-  
 rent.

Sæcul. XII.  
 A. C. 1166.

Concilium  
 Constantinense  
 1166

Concilium igitur novem Canones *Triod.*  
 condidit in hunc modum: 1. *Anathema Græc.*  
*illis, qui verba Sanctorum Ecclesiæ Do-* *Domin.*  
*ctorum perverse accipiunt, & falsis in-* *Orthodox.*  
 O o 5. *terpre-*

Sæcul. XII. A.C. 1166. *interpretationibus detorquent, quod illi cum gratia Spiritus Sancti diserte explicarunt. 2. Æterna sit memoria illorum, qui verba Domini Nostri JESU Christi: Pater major me est, secundum interpretationem Patrum, de ipsius Humanitate, in qua passus est, accipiunt. 3. Anathema illis, qui sentiunt & dicunt, quod JESUS Christus, Naturam Humanam accipiens, eam in Divinitatem mutaverit, & qui non credunt, quod per hanc conjunctionem Corpus Domini Dignitatis Divinae particeps fiat, ita ut objectum sit unius & ejusdem Adorationis cum Verbo, a quo assumptum est, & ex consequenti cum Patre & Spiritu Sancto honoretur & glorificetur; quamvis Deo consubstantiale non sit, nec desinat esse Corpus creatum & circumscriptum, ut proprietates naturales exigunt. Sed qui dicunt, quod Corpus in substantiam Divinitatis mutetur, unde sequitur, quod vel Incarnatio fuerit fictitia, vel quod Divinitas passa sit. 4. Æterna sit memoria illorum, qui dicunt, quod Corpus Domini per conjunctionem Hypostaticam ad supremam Dignitatem sine alteratione aut confusione elevata, cum Verbo una adoratione honoretur, & cum ipso in Throno ad dexteram Dei Patris sedent, prærogativa Divinitatis, salvis utriusque Naturæ proprietatibus, prædita.*

Canones  
Concilii  
Constantino-  
politani.

5. Ant.

5. *Anathema illis, qui rejiciunt verba, Sæcul. XII. A. C. 1166.*  
 quibus Patres Doctrinam Ecclesiæ stabiliunt, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Amphilocho, Leonis Sanctissimi veteris Romæ Archiepiscopi, aliorumque, & qui Acta quarti sextique Concilii Æcumenici non recipiunt. 6. *Anathema illis, qui verba Domini Nostri: Pater Major me est, in alio sensu accipiunt, ac Sancti explicarunt, nempe aliqui secundum Divinitatem, quia Pater est Generationis illius principium, alii secundum proprietates Carnis assumptæ, nempe creatæ, finitæ, mortalis. Et Anathema illis, qui dicunt, quod illa Christi verba solummodo accipienda sint de Carne sua, a divinitate non nisi per extrinsecum concipiendi modum separata, ac si Christo non esset unita; & Anathema illis, qui qualemunque separationem secundum simplicem apprehendendi modum non in eo sensu accipiunt, in quo Patres, cum de Christi servitute aut ignorantia locuti sunt, acceperunt, nullatenus tamen ut Carnem Jesu Christi deprimant. Demetrius autem, & Sectatores ejus, etiam proprietates naturales, quæ vere in carne cum Divinitate unita existunt, ita separant (\*).* 7. *Anathema Metro-*

(\*) Id est, sicut ex obscuro hujus loci sensu colligo, Demetrius & Sectatores ejus, non tantum

illi cum  
 explicat  
 illorum  
 Christi  
 interpret  
 unitate  
 Anathe  
 t, quod  
 nam ac  
 taverit  
 ne con  
 unitati  
 tum sit  
 m Ver  
 sequen  
 bonore  
 eo con  
 te Cor  
 ut pro  
 qui di  
 m Di  
 , quod  
 el quod  
 sit me  
 d Caro  
 aticam  
 evatio  
 bo uni  
 ipso in  
 sedent  
 riusque  
 . Ant

Thomas  
 15. 2. 68. 70

Sæcul. XII. A.C. 1166. *Metropolitæ, intruso Corcyrensi, Constantino ex Bulgaria, qui dicit, quod illa verba Domini Nostri: Pater Major me est, non debeant accipi, stante conjunctione hypostatica divinæ & humanæ Naturæ, sed per nostrum concipiendi modum natura a divinitate separata, & naturæ ceterorum hominum simili, quamvis S. Jo-*

*Damasc. III nes Damascenus de separatione divinitatis ab humanitate tunc tantum loquatur, quando ipsi de servitute & ignorantia Christi, non autem de proprietatibus naturalibus carnis ejus sermo est (\*). Con-*  
stanti-

tantum servitute & ignorantiam Christi, de qua SS. Patres non nunquam loquuntur, sed etiam proprietates naturales, quæ vere in Carne cum Divinitate unita existunt, non nisi per abstractionem solius intellectus separabant & distinguebant.

(\*) Ex his Articulis Concilii Constantinopolitani satis intricatis id tamen cognoscimus, errorem Demetrii in eo situm fuisse, quod diceret, Humanitatem Jesu Christi non re ipsa, sed tantum per abstractionem nostri intellectus ab ejus Divinitate fuisse distinctam. Sed insaniebat, sic enim verbis Christi Domini Joan. 14. *Pater meus Major me est*, nullus sensus proprius tribui posset. Præterea dici nequit, quod Natura humana creata, etsi in Persona Naturæ Divinæ unita, unum cum Natura Divina in creatum factum fuerit.

Ceterum

stantinus Doctrinæ quartæ & sextæ Synodi inherere noluit, ideoque in varias hæreses lapsus est. 8. Anathema omnibus illis, qui depositi & cunctis invis, cum eodem Constantino sentiunt. 9. Anathema stupidissimo & Pseudo-Monacho Joanni Irenico, ejusque Scriptis sanæ Doctrinæ adversis. Anathema illis, qui eum sequuntur, & docent; quando Dominus noster dixit: Pater meus major me est, non dixisse id de Humanitate sua bypostatice Divinitati unita, sed per intellectum separata, quasi nunquam conjuncta fuisset.

Sæcul. XII.  
A. C. 1166.

Hæc Decreta, cui Imperator subscripsit, lapidibus incisa, & in Ecclesia S. Sophiæ ita ad lævam posita sunt, ut intrantium oculis objicerentur. Eadem inserta fuere Libro Synodico, quem Græci in Festo Orthodoxiæ, id est, illa die, qua restitutum Imaginum Cultum celebrant, legunt, nempe in prima Dominica Quadragesimæ. Hæc ex eorum Libro *Triodion* dicto dispicimus. Theodorus Balsamon, illius ævi Scriptor, memo-

Cinnap. 149.

Sup. Lib.  
XLVIII.

In Can. 46.  
Ap.

Ceterum ex hoc Concilio iterum dispicitur concordia Græcorum cum Latinis; namque illa tempestate Athanasius Patriarcha Antiochenus & Nicephorus Hierosolymitanus, in hac Synodo præsentibus, Latinum Ritum sequebantur, & in Romani Pontificis Communionem existebant.



Sæcul. XII. memorat, in isto Concilio Constantino-  
 A.C. 1166. politano, quod Magnum Concilium ap-  
 pellat, complures Viros Ecclesiasticos  
 solum ideo fuisse depositos, quod Scriptura  
 Irenici vidissent, & palam non damna-  
 sent. Capita autem accusationis, ad-  
 versus Lucam Patriarcham motæ, quæ  
 levia visa sunt, ideo a Sede sua amotæ  
 non est.

## §. XXXVIII.

*Alicæ in Ecclesia Græca Constitutiones*

*Jus Græco Rom. lib. 3. p. 217. ibid. p. 204. Theod. Balsam. in No-mocan. tit. 13. p. 186.* Eodem anno, Græcorum sexies mil-  
 lesimo sexcentesimo septuagesimo  
 quarto, Domini millesimo centesimo  
 sexagesimo sexto, Indictione decima  
 quarta, Feria II. undecima Aprilis, Lucas  
 Patriarcha alteri Concilio præfuit, Metro-  
 politis triginta, & Imperatoris Præfatis  
 præsentibus. In eo Nicolaus *Hagiotheodorita*  
 Metropolita Atheniensis querelam  
 attulit, de abusu cujusdam Decreti Syno-  
 dici, ante annos centum triginta ab  
 Alexio Patriarcha conditi, quo tolera-  
 batur matrimonium in sexto septimo  
 gradu initum, si modo contrahentes  
 licentiam nubendi non petiissent; nempe  
 tunc hujusmodi matrimonium non de-  
 clarabatur nullum, sed conjugibus poeni-  
 tentia injungebatur, quia per ignoran-  
 tiam contraxisse præsumebantur. Ita-  
 que hujusmodi nuptias inire cupientes

cautissime licentiam nunquam petebant, quæ ipsis utique denegata fuisset, sed eas libere tanquam licitas celebrabant.

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

Lucas Patriarcha hunc abusum, edito Synodali Decreto, sustulit, easque nuptias nullas pronunciavit; quam Constitutionem Manuel Imperator lege, eodem mense Aprili, Indictione decima quarta, condita & mense Majo sequente promulgata, confirmavit.

*Jus Græc. Rom. 2. p. 165.*

Justinianus Imperator, cum Ecclesiam S. Sophiæ ædificasset, jus Asyli ad eam confugientibus concesserat; quo privilegio abutentes facinorosi Leges, atrocissimis criminibus digna supplicia statuentes, eludebant. Id Imperatorem Constantinum Porphyrogenitum permovit, ut præciperet; illum, qui temere homicidium commisisset, ex Asylo abstractum, in locum ab eo, in quo scelus peregisset, remotissimum esse relegandum, in monasterium detrudendum, & professione monastica, reliquo vitæ tempore, damnandum. At Manuel Imperator intelligens, quantum ab Instituti monastici Sanctitate abhorret, homines scelestos & a Deo non vocatos ad id vitæ genus compellere, constituit, reum perpetuo carcere esse coercendum, & nunquam ad Professionem Religiosam, nisi volentem, & se verissime probatum admittendum. Hæc  
Consti-

Sæcul. XII.  
A.C. 1166.

Constitutio eodem mense Aprili, Indictione decima quarta, anno Mundi sexies millesimo, sexcentesimo septuagesimo quarto, Virginei partus millesimo centesimo sexagesimo sexto data est, cujus edendæ occasio hæc fuisse dicitur.

lib. 3. p. 224.

Quidam miles innocentem occiderat, & post breve temporis spatium absolutionem ab Episcopo impetraverat. Quam ob rem indignans Imperator, cum causam in Concilio discuti curasset, reus poenitentiam per Canones præscriptam secundo implere iussus est, & Episcopus ad tempus a Ministerio Sacerdotali suspensus.

p. 220.

Balsam. in  
Can. 16.  
Carthag.  
p. 623.

Quædam etiam aliæ Constitutiones Lucæ Patriarchæ occurrunt, quas inter illa est die Dominica, octava Decembris, Indictione sexta, nempe anno reparatæ Salutis millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Pontificatus sui tertio, data, in qua Viris Ecclesiasticis prohibet, ne negotiis sæcularibus implicentur, non sint Curatores, non ampliarum familiarum regimen in se suscipiant, non censuum Reipublicæ Redemptores existant; reis vero Depositionis poena dicitur. Cuidam Diacono præcepit, ut Causidici munus abdicaret; sed ille in excusationem attulit, quod Leges hoc officium Clericis prohibentes, ad illos solum Causidicos pertinerent, qui

Jus Græc.  
Rom. p. 225.  
Bals. p. 98.

qui in Foro Sæculari conscripti, a Magi-  
stratu recepti, & ab Imperatore stipendio  
donati essent, sicque libertatem in Ju-  
dicio dicendi obtinuit. Idem Patriarcha  
antiquiores Leges explanavit; ad cen-  
sum artium sordidarum, Clericis vetita-  
rum, pertinere Balneatorum & Suffito-  
rum tribus. Diaconis & Presbyteris Medi-  
corum munere fungi prohibuit. Cete-  
rum vita sanctus est Lucas Chrysobergus  
anno millesimo centesimo sexagesimo  
septimo, postquam Sedem Constantino-  
politana[m] annis duodecim tenuisset, ei-  
que successit Michael Anchialus Diaco-  
nus, Sacellanus & Philosophorum pria-  
ceps, qui annis octo sedit.

## §. XXXIX.

*Ecclesia Alexandrina.*

In Ægypto Ecclesiæ Alexandrinæ præ-  
erat Patriarcha numero septuagesimus  
tertius, Jacobita, Marcus Abulfaragus,  
Zaræ filius, in Festo Pentecostes duo-  
decima Junii anno millesimo centesimo  
sexagesimo sexto ordinatus, quo sedente,  
Ecclesia S. Mercurii pluresque aliæ vete-  
ris Cairi urbis flammis consumptæ sunt,  
in incendio universali, decima quarta  
Novembris anno millesimo centesimo  
sexagesimo nono, cujus Auctor *Chauvar*  
Vizirius fuit. Marcus vero Patriarcha  
quotidie epulabatur splendide, ac Chri-  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XVII. Pp stiano-*

Sæcul. XII.  
A. C. 1166.Catalog.  
Jus Græc.  
Rom. p. 303.  
V. Pagi.  
an. 1167.  
n. 17.Chron.  
Orient.Hist. patr.  
Alex. Sol-  
lerii vie  
Salad. MS.

Sæcul. XII. stianorum virorum nobilissimos mensæ  
 A.C. 1166. adhibebat, cui carnes inferebantur,  
 contra morem Patriarcharum Antecesso-  
 rum ejus; hi enim toto anno jejunium  
 Quadragesimale servabant, atque ab esu  
 carniū, piscium, & a vino abstine-  
 bant, secundum consuetudinem Mona-  
 chorū in Oriente; quippe illi Patri-  
 archæ ut plurimum e Monasteriis evoca-  
 bantur. Malum igitur exemplum, quod  
 Marcus exhibebat, compluribus Jacobitis  
 occasio fuit, ab ejus Communionē disce-  
 dendi, prædicatione cujusdam Pres-  
 byteri, cui etiam nomen Marcus, *Elcom-  
 bar* filii, eos in Schisma impellente.

Præterea Marcus Presbyter in quem-  
 dam abusum illius Ecclesiæ vehementer  
 invēhebatur. Nam multi posito thuribulo  
 & accensis carbonibus confitebantur, cre-  
 dentes hoc remedio peccata sua deleri.  
 Contra Marcus Presbyter affirmabat,  
 necessarium esse, ut Sacerdotibus con-  
 fiterentur, & Canonem, id est, Pœni-  
 tentiam injunctam, implerent. Quam  
 tabulam nisi peccator post naufragium  
 amplecteretur, pereundum esse. Sic  
 complures ad sancti moris custodiam re-  
 duxit. Damnabat etiam Circumcisio-  
 nem, quam plerique Christianorum in  
 Ægypto servabant, & tanta dicendi vi  
 de his duobus Articulis differuit, ut non  
 paucos ad Doctrinam Catholicam per-  
 traxerit.

traxerit, & Communioni Melchitarum reddiderit. Quare Patriarcha Alexandri-  
 nus in quodam Concilio Episcoporum, Sectæ suæ addictorum, Marcum Pres-  
 byterum excommunicavit, & Michael quoque Patriarcha Jacobita Antioche-  
 nus in Concilio sexaginta Episcoporum eum a suæ Ecclesiæ communionem exclu-  
 sit. Ceterum Marcus Zaræ filius, Sedem Alexandrinam annos prope viginti tres  
 obtinuit.

Sæcul. XII.  
 A. C. 1167.

§. XL.

*Urbs Mediolanensis restauratur.*

In Italia, dum Fridericus Imperator Anconam obsidet, Longobardiæ Urbes, cum Præfectorum Cæsareorum fastum & crudelitatem ferre non possent, ad deliberandum per Legatos suos conveniunt; qua potissimum ratione vim omnem repellerent, salva Imperatori debita fide, quam se his fœderibus neutiquam frangere jactabant. In illo autem Conventu diem præstituerunt, qua omnium civitatum Incolæ Mediolanum irent, & in ea veteres colonos restituerent; nempe Mediolanensibus tamdiu præsidio essent, quoad valla reparassent, tuto ibi degere, & suis se viribus tueri possent. Tum statuta strenue exsecuti sunt, & Mediolanenses inter summæ lætitiæ signa urbem suam die Jovis vi-

*Acerb. mor.*  
 p. 842.

Sæcul. XII.          gesima septima Aprilis anno millesimo  
 A C. 1167.          centesimo sexagesimo septimo intrantes  
 dirutos muros extruere cœperunt.

vit. S. Gald.

18. April.

Boll. to. 10.

p. 594.

Cum anno millesimo centesimo sexagesimo secundo Mediolanum excideretur, Hubertus Pirovanensis, Archiepiscopus, ad Alexandrum Papam se recepit, quem secutus in Franciam, & cum eodem in Italiam reversus, ex hac vita evocatus est Beneventi, vigesima octava Martii anno millesimo centesimo sexagesimo sexto, postquam annis viginti Ecclesiam Mediolanensem rexisset. Defuncto successit Galdinus Cardinalis, ex nobili familia *Vavasseurs de Sale* ortus, qui Sacris literis instructus & inter Clericos Majoris Ecclesie educatus, Archidiaconi munere deinde sub Ribaldo Archiepiscopo & Huberto ejus Successore functus est. Is Huberto semper addictissimus, etiam in exilium migranti adhaesit; unde Alexandro Papae viri dotes explorare licuit. Ubi in Italiam redierant, Alexander Papa Galdinum, consentiente Archiepiscopo, Beneventi commorante, Romam ad se vocatum, mense Decembri, anno millesimo centesimo sexagesimo quinto, Presbyterum Cardinalem Tituli S. Sabinæ creavit. Huberto deinde factis functo cum Clerici Mediolanenses in diversa sparsi Archiepiscopum eligere non possent, Papa Algiso Thesauri Præfecto,

ex

ex Familia Pirovanensium, Cardinale Sæcul. XII.  
 Galdino, aliisque quotquot poterat, ac A. C. 1167.  
 citis, iisdem rogantibus, Galdinum,  
 octava Maji, anno millesimo centesimo  
 sexagesimo sexto, Dominica secunda  
 post Pascha, Archiepiscopum Medio-  
 lanensem ordinavit. Is Sedem hanc an-  
 nis decem nec plus nec minus tenuit.  
 Postquam vero comperit patriam suam  
 e cineribus resurgere, quod ferventissi-  
 mis precibus a Deo postulaverat, itineri  
 se accinxit, cum potestate Legati Sacræ  
 Sedis rediturus. Utque Cæsareorum  
 insidias effugeret, habitum Peregrino-  
 rum indutus itinere maritimo Venetias  
 pervenit, unde Longobardiam ingressus,  
 vestem & Episcopi Insignia resumit.  
 Haud procul Mediolano constitutum om-  
 nes cives Clericique, obviam proce-  
 dentes, & ingentem profitentes lætiti-  
 am, quinta Septembris anno millesimo cen-  
 tesimo sexagesimo septimo exceperunt.

## §. XLI.

*Fridericus Imperator Romæ ad portas.*

Inter hæc in alia Italiæ parte Romano-  
 rum quadraginta millia, vigesima Att. ap. Ba-  
 septima Maji, eodem anno in Vigilia ron.  
 Pentecostes, in Tusculanam Civitatem, an. 1167.  
 Friderici Imperatoris partibus faventem, vid. Pagi.  
 erumpunt. Quod ubi Christianus Archi- cod. Chron.  
 episcopus electus Moguntinus Schis- gr. Sax. cod.  
 maticus



Sæcul. XII. maticus ex nunciis comperit, castra Ro-  
 A. C. 1167. manis proxima deligit cum copiis; ex  
 Flandria enim & Brabantia conducto  
 militi imperabat. Ecce vero jam cum  
 suis fugam meditabatur, cum ad auxi-  
 lium præstandum adveniens Rainoldus,  
 Imperatoris Cancellarius, & electus  
 Archiepiscopus Colonienſis, Romanos  
 prælio fundit, ex quibus octies mille  
 occiſi, quater mille capti, ceteri in fu-  
 gam acti. Hanc victoriam Germani in  
 Feria II. Pentecostes reportarunt. Im-  
 perator igitur, quem obſidio Anconæ  
 morabatur, ea capta, Romam contendit,  
 quo decima sexta Julii pervenit. Altera  
 die Castrum S. Angeli aggreditur, &  
 deinde Basilicam S. Petri, quam, cum  
 incendi jussisset, expugnavit. In his  
 angustiis Alexander Papa, relicto Palatio  
 Lateranenſi, ad Domos Frangipanum  
 munitas se contulit; Rex vero Siciliae  
 juvenis triremes duas cum pecunia miſit,  
 quibus Sanctum Patrem de potestate Im-  
 peratoris eriperet. Has quidem per  
 Tiberis alveum Romam usque advectas  
 Papa remiſit, accepta pecunia, quam  
 Romanis distribuit, ut animos ad Urbem  
 defendendam accenderet.

Imperator intelligens, vi manifesta  
 Romam ad ditionem faciendam com-  
 pelli non posse, Episcopis Cardinalibus-  
 que, qui nomine Pontificis ad eum salu-  
 tandum

tandum venerant, per Conradum Archi-  
 episcopum Moguntinum Catholicum A.C. 1167.  
 pacis condiciones exponi iussit in hunc  
 modum: *Si Alexandrum eo adducere po-  
 testis, ut Pontificatu se abdicet, salva  
 sua Ordinatione; faciam ego, ut etiam  
 Paschalis suæ Dignitati renunciaret. Tertius  
 in Papam eligatur. Tunc Ecclesiæ since-  
 ram pacem dabo, nec amplius, quis Papa  
 eligatur, curabo. Captivos Romanis red-  
 dam, & quæcunque de spoliis necdum di-  
 repta supersunt.* Hæc pacta populo Ro-  
 mano, belli calamitatibus fatigato, ex-  
 optanda videbantur, clamabatque una  
 voce, acceptanda hæc esse, & non Pon-  
 tificatum modo, sed etiam si quidquam  
 illo pretiosius haberet, Alexandro re-  
 linquendum esse, ut civium suorum vel  
 libertatem vel vitam redimeret. At Epi-  
 scopi & Cardinales, postquam hac super  
 re deliberassent, communi consensu re-  
 spondent Friderico: *Nostrum non est,  
 in Papam sententiam ferre, quem Deus  
 suo iudicio reservavit.* Papa vero cum  
 Cardinalibus sub pauperis peregrinantis  
 veste latens Roma excessit, ut se irato  
 populo subtraheret. In itinere Tarra-  
 cinam & deinde Cajetam divertit, unde  
 Beneventum pervenit, ubi jam vigesima  
 secunda Augusti versabatur. Fugientem  
 Pontificem Cardinales secuti sunt.

Rom. Sa-  
 lern.

Sæcul. XII.

A.C. 1167.

*Acer. Morena p. 845.*

Interim Paschalis Antipapa, qui Vi-  
terbii adventum Imperatoris expectabat,  
Romæ Suburbia petiit, Missam solemnem  
Ritu in Basilica S. Petri cum Cardinali-  
bus suis die Dominica, trigesima Julii  
celebravit, & Feria tertia sequente in  
Festo S. Petri ad vincula in eadem Ec-  
clesia Friderico Imperatori, & Impera-  
trici Beatrici Conjugi ejus coronas au-  
reas, gemmis ornatas, imposuit. Tunc  
vero Romani intelligentes, quod vim  
vi repellere non possent, cum ne quidem  
Tiberim tuto trajicere liceret, in pacta  
descendere statuunt, fidem Imperatori  
jurant, seque Paschalem Papam receptu-  
ros promittunt. Verumtamen Frangi-  
panes, & quidam alii Romani, generis  
nobilitate conspicui, arcium Domini &  
munitionum, quarum obsidio majoris  
molis fuisset, quam ut cito expugnari  
possent, hæc foedera aspernabantur. Ad  
Romanos vero ultra Tiberim misit Im-  
perator legatos cum mandatis, qui eo-  
rum fidem acciperent; horum Nuncio-  
rum aliquis erat Acerbo Morena civis  
Laudis Pompejæ, Curia Cæsareæ Judex,  
qui sui ævi historiam, postea ab Ottone  
filio continuatam, scripsit.

Sed, mira res! die altera, quæ erat  
Mercurii, secunda Augusti, cum modica  
pluvia a turgidis nubibus fuisset excussa,  
subito emicantes æstivi solis radii in  
exercitu

exercitu Imperatoris miserandæ stragis <sup>Sæcul. XII.</sup>  
 causa extiterunt. Nam tanta hujus pestis A.C. 1167.  
 vis fuit, ut superstites necatis sepeliendis  
 singulis diebus vix sufficerent; qui mane  
 sospites videbantur, die procedente ex-  
 animes concidebant. Hæc tabes præter  
 alios plurimos Præsules & Optimates  
 abstulit Rainoldum Archiepiscopum Co-  
 loniensem, summi ingenii virum, inter  
 Præfectos Imperatoris eximium, nec-  
 dum ordinatum, quamquam anno mil- <sup>Chron.</sup>  
 lesimo centesimo sexagesimo primo ele- <sup>Saxo. 1168.</sup>  
 ctus fuisset. Ejus Successor fuit Philip-  
 pus Cancellarius. Itaque funesta clades  
 Imperatorem ad abducendum exercitum  
 compulit, atque extrema recedentis  
 agmina rebelles Longobardi laceffere  
 ausi sunt.

## §. XLII.

*Fridericus ab Alexandro excommuni-  
catur.*

Ubi fama pervolans ad S. Thomæ in <sup>II. ep. 22.</sup>  
 Francia degentis aures detulit, quam  
 probrose Fridericus ex Italia fugere co-  
 actus fuerit, datis ad Alexandrum Pa-  
 pam literis, rogavit verum edoceri, &  
 victoriam gratulatus est, Friderici cladem  
 illi comparat, quam Senacherib tulit;  
 ipsum, quia excommunicatus erat, non  
 amplius Imperatorem, non Principem, sed  
 privatum habet, & epistolam sic claudit:

P p 5

Quis

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

II. ep. 89.  
Jo. ep. 210.  
to. 10. Conc.  
p. 1450.

*Quis deinceps, Vicariam Jesu Christi potestatem in terris gerens, præsumat se ipsum voluntati Principum submittere, Ecclesiam prostituere, reorum audaciam inultam dimittere? audeat, qui voluerit, ego profecto non sinam, ut hæc culpa in me cadat, ne, dissimulans vindictam, eadem cum delinquente pœna involvar. Joannes Saresberiensis hanc Friderici excommunicationem clarius explicat, data sub idem tempus epistola, in qua dicit: Postquam Papæ patientia Tyrannum Teutonicum diu sustinuit, ut ad pœnitentiam provocaret, & Schismaticus iste peccata peccatis accumulavit, tandem S. Petri Vicarius, a Deo super Gentes & Regna positus, Italos ceterosque omnes a juramento fidei, quo ipsi ratione Imperii aut Regni obstringebantur, absolvit, eique in hunc modum totam pœne Italiam subtraxit. Præterea eundem Fridericum Dignitate Regia privavit, anathemate percussit, atque auctoritate Divina prohibuit, ne deinceps ulla virtute in bello vigeat, ullum Principem Christianum vincat, ullo in loco pacem aut quietem inveniatur, usque dum dignos pœnitentia fructus faciat. Qua in re Papa secutus est exemplum Gregorii VII. Antecessoris sui, qui simili modo nostra ætate Henricum Imperatorem in Concilio Romano deposuit. Joannes Saresberiensis, etiam esset*

esset doctissimus, nullum tamen exemplum isto antiquius ex tota Historia Ecclesiastica afferre potuit, quo Pontificibus auctoritatem Supremos Principes deponendi adstrueret.

Sæcul. XII.  
A. C. 1167.

§. XLIII.

*Legati in Normanniam perveniunt.*

Quamquam duo Legati, quos Alexander Papa, postulante Rege Angliæ, ad terminandam causam S. Thomæ Cantuariensis mittebat, prima die Januarii anno millesimo centesimo sexagesimo septimo Roma discessissent, non prius tamen quam exeunte æstate in Normanniam, ubi Rex versabatur, pervenerunt. Postquam vero iter auspiciati fuerant, Papa certior factus est, quam magnifice Joannes Oxoniensis Legationis suæ Romanæ successum exaggeraret, & jactaret, hos Legatos ad judicandum Archiepiscopum eumque damnandum mitti. Quin Papam jam nunc complures Præsules, multosque alios viros in Anglia spectatissimos, ab ejusdem Archiepiscopi Jurisdictione eripuisse. Comperit quoque Papa, his rumoribus non Archiepiscopum modo, sed etiam Regem Franciæ & Regni ejus Principes turbari. Quare data epistola duos Cardinales Legatos, Guilielmum Papiensem & Ottonem, jussit Archiepiscopo omnibus viribus

Sæcul. XII.

A. C. 1167.

viribus solatium suggerere, omnem sus-  
spicionem eximere, Regi Angliæ recon-  
ciliare, & priusquam negotium recon-  
ciliationis esset perfectum, nihil gravioris  
momenti in ejus terris moliri, nec ejus  
Regnum, etiamsi invitaret, intrare.  
Subjunxitque, *ne contra nos quoque ma-  
ledicentiæ arma præbere videamini.* Hæc  
Epistola in Palatio Lateranensi septima  
Maji data.

Papa, data ad Regem Franciæ quo-  
que Epistola, certiores facit, quod Le-  
gatos misisset, rogatque, ut ad Archie-  
piscopum & Regem Angliæ reconcilian-  
dos piam operam impendat, & addit: *Si  
vero pax reduci non possit, cuperemus,  
si id molestum tibi non accideret, &  
Optimates Regni tui non offenderentur,  
Thomam apud vos potestatem Legati Se-  
dis Apostolicæ obire.* Nempe, ut Tho-  
mas, cujus potestas in Anglia erat su-  
spensa, solatium haberet, Papa ei Lega-  
tionem in Francia conferre auebat. Sed  
adnotare operæ pretium est, quod ad  
rem istam consensum Regis & Optima-  
tum petierit.

I. ep. 165.

Quas querelas Thomas moverit, ubi  
Guilielmum & Ottonem Legatos mitti  
comperit, ex ejus Epistolis postea datis  
cognoscere licet. Atque etiam ex Epi-  
stola Petri Lombardi Subdiaconi ad Pa-  
pam data, in qua dicit, Regem Franciæ  
haud

haud leviter indignari, minarique, se Le-  
 gatos istos ab aditu in Regnum suum Sæcul. XII. A.C. 1167.  
 prohibiturum. Tandem ex Epistola Joan-  
 nis Saresberiensis, in qua dicit; Regem l. ep. ult.  
 Angliæ sæpius auditum fuisse jactare,  
 quod in suo marsupio Papam omnesque  
 Cardinales sibi obnoxios & aureis vincu-  
 lis adstrictos circumferret, seque iisdem  
 privilegiis gaudere, quibus usus fuisset  
 Avus suus, qui in Provinciis Regni sui  
 Rex, Legatus, Patriarcha, Imperator,  
 & quidquid volebat, extitisset. His sub-  
 jungebat Saresberiensis: *Quid amplius*  
*Regi Angliæ ab Antipapis Octaviano*  
*& Guidone contra Archiepiscopum Can-*  
*tuariensem concedi potuisset? Itaque in*  
*Acta Ecclesiæ Romanæ referetur, quod*  
*Pontifex Maximus, tum precibus, tum*  
*minis Regis Angliæ, cujus vitia intole-*  
*rabilia justo diutius dissimulavit, perter-*  
*ritus, Archiepiscopum, annis quatuor*  
*cum innumeris aliis innocentibus, propter*  
*causam Dei, & libertatis Ecclesiasticæ*  
*defensionem exulem, in nullo Judicio Ca-*  
*nonico condemnatum, nec quia talia me-*  
*ravit, sed quia Tyranno ita placuit, omni*  
*Jurisdictione Episcopali exuerit. Sed*  
*quid ista ad me? Papa viderit, cujus est*  
*conscientiæ suæ, famæ, & Ecclesiæ salu-*  
*ti consulere. Ceterum ambo Legati Ar-*  
*chiepiscopo suspecti erant, multo magis*  
 Guilielmus Papiensis, quem inimicum  
 suum



Sæcul. XII. suum manifestum & Regi Adversario suo  
 A.C. 1167. addictissimum esse existimabat. Hinc  
 ergo ipsi scripsit, quod eum Judicem  
 suum recipere neutiquam posset. Jam  
 que antea literas ad eum exaraverat si-  
 lo multo acerbior, quas vero consilium  
 Joannis Saresberienensis secutus suppressit.

*Chro. Gerv.* Hoc anno millesimo centesimo sexa-  
 1167. gesimo septimo inter Franciæ Angliæque  
 Reges bellum recrudit ob civitatem  
 Tolosanam, aliasque causas, quas inter

*II. ep. 34.* præcipua S. Thomæ Cantuariensis nego-  
 tium putabatur. Qua re comperta Ale-  
 xander, datis literis, Legatis Guilielmo  
 & Ottoni præcepit; viam nullam inter-  
 tatam relinquerent, qua pacem inter am-  
 bos Principes revocarent, Ecclesiæ tan-  
 topere necessariam. Diserte prohibet,  
 ne in Angliam navigent, nec in negotia  
 hujus Regni præsertim, quæ ad Conse-  
 crationem Episcoporum spectabant, se in-  
 ingerant, antequam Thomas Archiepi-  
 scopus Regi plene fuisset reconciliatus.  
*Gervas. p.* Hæc Epistola Beneventi vigesima secun-  
 da Augusti anno millesimo centesimo sexa-  
 gesimo septimo data. Ut his manda-  
 tis obsequerentur, Legati Senones per-  
 rexerunt, cum Archiepiscopo, nempe  
 Thoma Cantuariensi, deliberaturi, & re-  
 medium tantæ litis quæsituri. Inde Re-  
 gem Angliæ adeunt, quem cum propo-  
 ti sui tenacissimum habuissent, diem  
 conti-

constituunt in Octava S. Martini, qua <sup>Sæcul. XII.</sup> cum Archiepiscopo conferrent consilia. A. C. 1167.  
 Ceterum Rex Angliæ Legatis dixerat; belli incentorem esse Thomam, qui in Franciam abiisset, ut contra se Regem & Comitem Flandriæ ad arma capeffenda excitaret.

## §. XLIV.

*Colloquium Gifortienfe.*

Præfixa die, decima octava Novembris, <sup>II. ep. 27. 28.</sup> anno millesimo centesimo sexagesimo septimo in loco inter oppida, vulgo <sup>30.</sup> *Trie* & Gifortium posito, Franciæ & Normanniæ termino, colloquium habitum. Sed Episcopi & Abbates Angliæ, quos Rex advocaverat, Rotomagi remanserunt. Archiepiscopum vero Cantuariensem non nulli ex iis, qui in exilium eunti adhæserant, comitabantur. Sermonem priores exorsi Legati ingentem Papæ caritatem dilaudarunt, & sollicitudinem, qua Archiepiscopum hodieque foveret. Suos quoque labores & pericula in hoc itinere exhausta memorabant, atque etiam necessitatem Ecclesiæ, Regis Angliæ potentiam, amicitiam præterea & beneficia, quibus olim Thomam ipsum coluisset, honorem, quo eum semper prosecutus fuisset, & tandem querelas contra ipsum, præsertim de bello, cujus auctorem Thomam esse affirmaret.

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

mare. Super his omnibus quærebant ex Archiepiscopo, quid ad placandum Regis animum ipsos dicere oportere; suadebantque Thomæ, ut in spinoso negotio moderationem & humilitatem afferret.

His dictis exiit Archiepiscopus, cum suis consultaturus. Et post morulam regressus gratias dixit Papæ & Legatis. Tum ad illa, quæ a Rege objiciebantur, respondit, & memoravit, quantum Ecclesiæ nocuisset. De humilitate & submissione vero, quam Legati ab Archiepiscopo expectabant, dixit, se se Regem tam humilem, tam submissum exhibiturum esse, ac fieri posset, Dei suoque honore, libertate & bonis Ecclesiæ salvis, interrogans an his conditionibus quidquam adjici vel detrahi deberet. Responderunt Legati, non venisse se, ut ei consilia darent, sed ab eo acciperent, sicque viam ad reconciliationem explorarent. His subjunxerunt; ad quædam capitula speciatim esse progrediendum, & quæsierunt, an promittere vellet, ipsis præsentibus, quod illas consuetudines, quibus Reges sub Archiepiscopis Antecessoribus suis usi fuissent, servaturus esset, ut sic in gratiam cum Rege rediret. Thomas respondit: Nullum Regum a quoquam Antecessorum suorum in Sede Cantuariensi, ut id promitteret, exegis-

exegisse, & nunquam fore, ut ipse pro-  
mitteret, servaturum se esse consuetudi-  
nes, Legi Divinæ, Auctoritati Sacræ Se-  
dis, & Libertati Ecclesiæ adversantes,  
quas Papa Senonibus, ipsis Legatis au-  
dientibus, damnasset, & quibus ipse ana-  
thema dixisset.

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

Rursus Legatis quærentibus, an sal-  
tem vellet promittere, se has consuetu-  
dines dissimulaturum & toleraturum, re-  
posuit illud Axioma morale: *Qui tacet  
consentire videtur*, quia enim Rex se ju-  
re possessionis gaudere diceret, si nemo  
se se opponeret, & Legatorum Sacræ  
Sedis accederet auctoritas, eas consuetu-  
dines & ipsi & Successoribus ejus legiti-  
me stabilitas videri posse. Subjunxit  
Thomas, malle se in perpetuo exilio de-  
gere, & si Deus de se ita decrevisset, ex  
amore Justitiæ mori, quam suæ salutis  
& libertatis Ecclesiasticæ dispendio pa-  
cem quærere. In hujusmodi enim ad-  
junctis Deum æternam damnationem  
comminari Episcopis, si taceant. Lectis  
deinde consuetudinum Articulis, quæsi-  
vit ex Cardinalibus, an has a Christia-  
nis servari, & a Pastoribus dissimulari  
liceret?

Tum cum Legati interrogarent, an  
in causa litis cum Rege ipsorum judicio  
acquiescere vellet, respondit, se, si ipse  
& clientes sui in integrum restituerentur,

*Hist. Eccles. Tom. XVII. Q9 lu-*

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

lubenti animo competenti Judici pariturum, & submissurum se illis, quorum Judicium subire Papa jussisset. Nunc vero pauperrimum & solius Regis Franciæ beneficiis vitam trahentem ad longæ litis sumptus compelli non posse. Noluit vero S. Thomas Cardinalem Papiensem Judicem recusare, ne nova lite, antequam restitutus fuisset, implicaretur. Iterum Legati interrogant, an coram ipsis respondere vellet Episcopis, qui ab eo ad Papam appellaverant, cum jam præsentibus essent. Quibus Thomas pariter respondit; se nulla a Pontifice hac de re accepisse mandata, si autem exinde acciperet, facturum se, quod æquitas postularet. Altera die Rex Franciæ, Legatis in conspectum admissis, illud objectum, quod Thomas duobus Regibus exitialis belli auctor extitisset, diluit, jurando affirmans, Præsulem sibi constanter suasisse, ut pacem cum Rege Angliæ conservaret.

Il. ep. 27.

§. XLV.

*Conventus Argenteonensis.*

Exinde Legati de iis, quæ acta erant, Regi Angliæ rationem reddituri *Argenteon* \* die Dominica vigesima sexta Novembris perveniunt, quibus Rex ad duas leucas obviam procedens, eos deinde ad hospitium deduxit. Altera luce Rex

\* Argentan

Rex finita Missa cum non multum processisset dies, Legatos vocat. Ad sunt illi & cum Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, qui admissi sunt, conclave Regis intrant ad consultandum. Ac postquam ad spatium ferme duarum horarum intus fuissent, egrediuntur, Rexque Legatos usque ad ostium Sacelli exterius comitatus, publice, presentibus etiam iisdem Legatis, dicere auditus est: *Utinam, quoad vivam, nunquam amplius Cardinalium aliquis oculis meis obversetur!* Tanta autem festinatione eos dimisit, ut quamvis eorum hospitium haud procul distaret, proprii tamen ipsorum equi non expectati, sed alii, qui forte ante illud sacellum custodiebantur, abituris admoti fuerint. Ita Legati haud plus quatuor viris comitantibus discesserunt; Archiepiscopi vero, Episcopi & Abbates apud Regem remanentes ad consilium adhibiti, cumque deliberatio ferme ad tempus usque Vesperarum fuisset protracta, ad Legatos se contulerunt, turbido omnes vultu, ac modico ibi tempore consumpto, quisque ad suum diversorium rediit.

Postera die Martis, Præsules, postquam apud Regem usque ad meridiem tenuisset deliberatio, ad Legatos ventitarunt hinc & inde mandata secreta ferentes. Die Mercurii illius mensis, in

Qq 2      vigilia

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

II. ep. 6.

Sæcul. XII  
 A. C. 1167.                       
 .0.93.11  
 vigilia S. Andreae, Rex cum canibus & avibus summo mane exiit ad venandum, quod de industria fieri, & quaesito absentiae prætextu, omnes crediderunt. Interim Episcopi mature in sacello Regis tumque in Regia conveniunt, ubi postquam consultassent ad Ecclesiam, Legatorum hospitio proximam, pergunt. Vocantur Legati, audituri, quæ exponerentur. Qui intrantes in medio omnium confident, Archiepiscopis Rotomagensi & Eboracensi, Episcopis Vigornienti, Saresberienti, Bajocensi, Londinensi, Cicerstrensi, & Inculismensi, multis Abbatibus & magna Laicorum multitudine latera stipantibus.

## §. XLVI.

*Appellatio contra Thomam.*

Tunc vero Gilbertus Episcopus Londinensis de Sede sua surgens & conversus ad Legatos, *Ad aures vestras pervenit, ait, nos literas a Summo Pontifice accepisse; has ad manus habemus. In iis vocati ad vos venire jubemur. Ex iisdem perspeximus, vobis plenam potestatem dirimendi lites, inter Regem & Archiepiscopum Cantuariensem, atque inter nos & eundem Præsulem natas, datam esse. Quare cum vos in has Regionem advenisse percepimus, præsto vobis esse volumus, ut vel actionem moveremus,*

vel

vel actionem contra nos moventi re-  
 sponderemus, & tandem vestrae senten-  
 tia obiremus. Idem etiam promittit  
 Rex, se videlicet sententiam, quam in cau-  
 sa ipsius & Archiepiscopi pronunciati-  
 uri estis, qualemcunque demum approba-  
 turum. Cum ergo nec in Rege, nec in  
 vobis, nec in nobis mora sit, quo minus  
 mandata Papae exsequi liceat, culpa in  
 eum, qui solus reus est, rejiciatur. Quia  
 autem Archiepiscopus cuncta temere agit,  
 quia Sacerdotes suspendit, & excommu-  
 nicat, nunquam monitos, Appellatione  
 praecocem ejus sententiam antevertimus.  
 Antea appellavimus, bodieque appellamus,  
 & nobiscum tota Anglia appellat.

Tum Episcopus Londinensis causam  
 litis inter Regem & Archiepiscopum ex-  
 posuit in hunc modum: Rex ab Archi-  
 episcopo repetit quadragesies mille argen-  
 ti marcas, sibi debitas ex censibus, quo-  
 rum ratio a Thoma Regni Cancellario  
 reddenda fuisset. Ipse respondet, sibi  
 tunc, cum ad Archiepiscopatum promo-  
 tus fuit, nullius rei rationem fuisse red-  
 dendam, & etiamsi aliquo vinculo prius  
 fuisset adstrictus, post Promotionem suam  
 ad nihil teneri. Putat enim per Ordi-  
 nationem Episcopalem debita eo modo  
 deleri, quo in Baptismo peccata remit-  
 tuntur. Postea Episcopus causas retu-  
 lit, ob quas & ipse & ceteri Angliae Epi-  
 scopi

Sæcul. XII.  
 A. C. 1167.



Sæcul. XII.  
A. C. 1167.

scopi appellassent, videlicet suam oppressionem & periculum Schismatis, in quod forte Rex lapsus fuisset, si ipsi Interdicto Archiepiscopi morem gessissent. Addidit, Archiepiscopum calumniis Regis decreta impetere, & publice promulgavit, Regem Edictum prohibens, ne quis Romam appellet, abrogare; ipsum quidem hanc Constitutionem edidisse, ut Clericis pauperibus faveret, sed jam eandem revocare, quod illi ingrati admodum existerent. *Ceterum, inquit, vult, ut in causis profanis coram Judice Laico actionem moveant, in causis vero Ecclesiasticis ad forum suum remitti rogent.* Tandem Episcopus Londinensis querelas, ad se ipsum pertinentes, contra Archiepiscopum protulit: *Novam, inquit, a me servitutem extorquet, vultque, ut ipsius Epistolas ad me missas per totam Angliam dirigam, cui negotio cursores quadraginta non sufficerent. Quadraginta ferme Ecclesias meæ Jurisdictioni subtraxit, nam Londini constituit Decanum, ad quem Ecclesiarum istarum causas deferri jussit. Unde neminem Episcoporum magis quam me Archiepiscopi vexationibus premi patet.*

Episcopus Saresberiensis & suo & Episcopi Wintoniensis nomine huic Appellationi adhæsit. Archidiaconus Cantuariensis quoque, & quidam ejusdem Eccle-

Ecclesiæ monachus appellarunt, cuncti-  
 que a Legatis Apostolos, seu Literas Ap-  
 pellationis testes petierunt & obtinuerunt. Legatis deinde die Martis post  
 primam Dominicam Adventus Regi valedicentibus, ille supplicibus verbis rogavit; exorarent ipsi Papam, ut se ab Archiepiscopo penitus liberaret, quin etiam aliquantulum flevit. Guilielmus Legatus quoque illacrymari videbatur, risum vix satis tenente Legato Ottone, quod nequaquam sinceram fluere lacrymas existimaret. Guilielmus Legatus  
 Clericorum suorum aliquem ad Papam  
 misit, qui Acta celeriter referret. Rex quoque per duos nuncios Pontificem omnium certio-  
 rem fieri iussit. In Sab-  
 bato die nona Decembris Legati cum Ebroicum divertissent, inde iterum Nuncios duos ad Papam direxerunt, qui Præfules Angliæ ad Sacram Sedem appella-  
 lisse perferrent. Hæc omnia legimus in quodam Commentario, quem illico amicorum fidi-  
 simorum aliquis ad S. Thomam transmisit.

Quædam alia adjuncta dispiciuntur ex Epistola Joannis Saresberiensis ad Episcopum Pictaviensem data, in qua dicit; post Colloquium Gifortien-  
 sem Legatis perturbatissimum visum fuisse, auditumque publice conqueri, quod a Papa proderetur, minarique de-

Qq 4      fection-

Sæcul. XII.

A. C. 1167.

Acta de  
S. Thoma.

Re. II. ep. 26.

Sæcul. XII. fectionem, nisi injurias suas ab Archiepi-  
A.C. 1167. scopo Cantuariensi acceptas ulciscere-  
 tur. Postquam vero diu multumque  
 deliberasset, & jam Principum, jam E-  
 piscoporum & Abbatum, jam ex Purpu-  
 ratis nobilissimorum, jam Legatorum, nunc  
 unius nunc amborum, consilia exquisi-  
 visses, tandem declarasse, quod se eo-  
 rum Judicio in omnibus Capitibus inter  
 se & Archiepiscopum controversis sub-  
 jiceret, & promisisse quod talia fidei suæ  
 pignora, qualiacunque peterentur, inte-  
 rim daturus esset, ac cuncta, quæ præ-  
 cepissent, accurate servaturus, si modo  
 sibi justitiam tanquam privatorum ho-  
 minum minimo administrarent. Tunc  
 respondisse Legatos, non sibi potestatem  
 Archiepiscopum judicandi, sed dissiden-  
 tes amice componendi commissam fuisse,  
 Regem vero rogasse, ut ex iis quæ  
 ab Archiepiscopo Eboracensi, ab Episco-  
 pis Londinensi, Cicestriensi & Vigor-  
 niensi, ab Archiepiscopo Rotomagensi,  
 Episcopisque Lexoviensi & Bajocensi  
 audivissent, Papam causæ suæ justitiam  
 edocerent.

In eadem deinde epistola Joannis  
 Saresberiensis legimus: Tum Episcopus  
 Londinensis in medium consuluit, nomine  
 totius Regni & omnium Clericorum esse  
 appellandum, petiitque, ut Archiepi-  
 scopus

scopus districto præcepto constringere-  
 tur, ne vel in Regnum vel in Episcopos  
 quamcunque Censuram pronunciare præ-  
 sumeret, sed sub præsidio Papæ existe-  
 rent, usque ad Appellationis diem, quæ  
 ad S. Martini Festum anno sequente mil-  
 lesimo centesimo sexagesimo octavo  
 præstituta erat. His peractis Legati ad  
 Archiepiscopum miserunt duos nuncios,  
 qui altera die, Festo S. Lucie, decima  
 quarta Decembris ei epistolam reddide-  
 runt. Præcipiebant vero Legati, ut  
 Appellationi acquiesceret, prohibebant-  
 que nomine Papæ, ne Angliam ulli Inter-  
 dicto vel excommunicationis sententiæ  
 subiceret, usque dum res ad Summum  
 Pontificem deferri, ejusque mandata  
 cognosci possent. Episcopi quoque, mis-  
 sis duobus ad Archiepiscopum nunciis,  
 appellasse se, significari jusserunt. Sed  
 eis Thomas colloqui non est dignatus,  
 quod cum illis, quos ipse excommuni-  
 casset, nominatim autem cum Episcopo  
 Londinensi, communicassent. Sacræ Se-  
 dis autem Legatis scripsit; & se ipsum  
 & illos neutiquam ignorare, quousque  
 eis obedientiam præstare teneretur.  
 Proinde facturum se, quod Ecclesiæ ex-  
 pedire visum fuisset.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1167.

II. ep. 29.

ep. 26.

Q 9 5

§. XLVII.

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

## §. XLVII.

Thomæ querelæ contra Papam & Cardinales.

II. ep. 30. **I**nter hæc S. Thomas ad Papam longæ exaravit literas, in quibus postquam ea retulit, quæ in Colloquio Gisfortienſi acta fuerant, conqueritur, quod Rex illos solum advocasset Episcopos, quos sibi adversarios novisset, & affirmat, sibi nec tutum esse nec possibile quodcunque iudicium, extra Sancti Patris præsentiam, subire. His addit: *Quia ergo cura omnium Ecclesiarum tibi incumbit, converte, obsecro, oculos tuos ad Occidentem, & aspice, quam temere a filiis suis habeatur Ecclesia. Quære ex Cardinale Ottone quid in Turonia, quid in Normannia viderit. Quid de Anglia audiverit. Ut enim sortem Ecclesiarum Cantuariensis & Turonensis silentio præteream, quibuscum Rex, ut nosti, egit, jam diu Episcopatus septem in nostra provincia & in provincia Rotomagensi vacantes occupat, & Episcopos eligi non finit. Regii Satellites Clericos Anglia impune spoliant. Si tanta dissimulamus, quid Jesu Christo in die Judicii respondebimus? quis aliquando Anticristo resistet, si hodie ejus Præcursores arguendi animus Sacerdotibus deest? nostra ignavia Reges in Tyrannorum feritatem degenerant,*

rant, nec plus juris aut privilegii, quam <sup>Sæcul. XII.</sup> ipsis lubet, Ecclesiis permittunt. Frustra <sup>A. C. 1167.</sup> nobis Siculorum aut Hungarorum exempla proponuntur, quæ nobis coram Tribunali Divino nihil præsidii afferent.

Cum vero elapso exinde triduo a Legatis mandata accepisset, quibus ejus Potestas suspendebatur, data ad Papam altera epistola dicebat: *Ridiculos nos ef-* <sup>II. ep. 47.</sup> *fecit cunctis in regione hac degentibus Legatorum tuorum auctoritas, nullum modum in causa nostra tenentium. Quid opus erat, Domine! Legationem committere viro, ex cujus initiis quid eventurum esset cognoscere poteras? qui nihil, inquam, antiquius habuit, quam Principibus adulari, tuæ & Ecclesiasticæ Dignitatis proditor.* His S. Thomas Guilielmum Papiensem carpit.

Simul Archiepiscopus datis ad omnes Cardinales literis multo vehementioris stili præter alia agebat: *Quo animo in-* <sup>II. ep. 46.</sup> *juriam Jesu Christo in mea persona, sive potius vobis ipsis, quorum est Jesu Christi vices in terris agere illatam dissimulare potestis? Num fingitis vos ignorare, quod Rex Angliæ quotidie Bona Ecclesiæ usurpet, ejusque libertatem destruat? in Clericos nullo discrimine manus injiciat, hos carceri tradat, alios mutilet, aliis oculos eruat, ad duellum, ad probationem ignis vel aquæ subeundam compellat. Pro-*  
*bibeat*

Sæcul. XII. *bibeat Episcopis, ne Metropolitans suis*  
 A.C. 1167. *obediant, minoribus Clericis ne Præfult-*  
*bus suis pareant, legitime excommunicatis,*  
*ne se ut tales gerant. Tandem ductus*  
*exemplo magni illius Schismatici, per-*  
*secutoris vestri, Ecclesiam tota sua liber-*  
*tate privare conetur. Hic Fridericum*  
*Imperatorem stringit. Si Regi nostro*  
*ista omnia impunita abeant, quid ejus*  
*Successores facient? imo quid non illi,*  
*qui vobis in Ecclesiæ Romanæ Dignitati-*  
*bus succedent, pati non cogentur? cavete,*  
*ne sicut occasiones & fraudes, ita etiam*  
*in dies malum crescat. Nolite fidere in*  
*favore Principum, nec in divitiis peri-*  
*turis, sed succurrendo oppressis thesaurum*  
*vobis in Cælo comparate. Si cessatis, vos*  
*meque omnesque exilii mei consortes ju-*  
*dicet Deus! expetat a vobis rationem*  
*sanguinis illorum, qui propter causam*  
*meam mortui sunt! dissimulationem &*  
*injustitiam vestram ulciscatur! Deus*  
*Optime! quis vigorem deinceps speret in*  
*membris, ubi Caput languet? jam ubi-*  
*que audias dicentes, nihil esse Romæ, quod*  
*delinquentes, si Viri potentes sint, ti-*  
*meant. Vestra lenitas, nisi attenditis,*  
*omnes Reges pervertet. Princeps noster*  
*hodie eo audaciæ pervenit, ut Sicularum*  
*insolentiam imitetur, vel potius superet.*  
*Clerici in Anglia favorem Curia Regalis*  
*exambiunt, mores ad aulæ palatum com-*  
*ponunt,*

ponunt, assentantur, fidem Regi jurant, Sæcul. XII. A.C. 1167  
 ut eo facilius privilegia Ecclesiastica, quæ  
 pro lubitu in Regno suo distribuit, con-  
 sequantur. Et inferius: Itaque amico  
 fideliter monenti credite, resumite Spiri-  
 tus & vigorem Sacerdotibus dignum,  
 utimini gladio S. Petri, & cum contu-  
 melias Jesu Christo irrogatas vindicatis,  
 nemini parcite. Ecclesia Dei non dissimu-  
 latione, non astutia, sed justitia & veritate  
 regitur.

## §. XLVIII.

*Absolutio subreptitia.*

Promiserat Papa, se illos, quos Tho-  
 mas excommunicaverat, absolutu-  
 rum esse, si forte periculum esset, ne more-  
 rentur, & adjecta conditione, si juras-  
 sent, se recuperata sanitate, mandatis  
 Papæ obsecuturos. Itaque cum hujus-  
 modi excommunicatis, Rege præci-  
 piente, mare trajiciendum esset, præ-  
 sumentes navigantibus imminere mortis  
 periculum absolvi petierunt a quodam  
 paupere Episcopo in Wallia, tam leges  
 quam Canones ignorante, qui relicto  
 Episcopatu ad Abbatiam pinguiorem  
 transierat.

II. ep. 3.

II. ep. 26.

Ubi Legati advenerunt, Joannes  
 Saresberienlis graves querelas movit  
 apud Papam, contra Absolutionem in  
 fraudem Legis impetratam, sine ulla Satis-  
 factione

II. ep. 103.

Jo. Sarisb.  
ep. 220.



Sæcul. XII. factione aut Bonorum usurpatorum  
 A.C. 1167. restitutione. Quare Papa, datis literis,  
 II. ep. 104. eos qui ita absoluti fuerant, ad resti-  
 tuenda Bona Ecclesiæ Cantuariensis com-  
 pelli, vel iterum excommunicationis  
 Censura innodari, jussit. Tandem duo  
 Legati Guilielmus Papiensis & Otto, sub  
 finem anni millesimi centesimi sexagesimi  
 septimi reversi sunt, nullo hanc Lega-  
 tionem sequente emolumento.

## §. XLIX.

*Seditio in Urbe Remensi.*

II. ep. 31. Joannes Saresberienfis Remos confuge-  
 Sarisb. rat, ubi in æstate anni millesimi cen-  
 ep. 214. II. tesimi sexagesimi septimi ingens tumul-  
 ep. 48. tus exortus; quod ex ejusdem epistola  
 ad Joannem Episcopum Pictaviensem in  
 hunc modum data discimus. Cives contra  
 Archiepiscopum Henricum, quod novis  
 & intolerabilibus servitutibus urbem  
 premeret, conjurati, suadentibus Clericis  
 & Nobilibus auxilium conferentibus, Ec-  
 clesiarum turribus & ædibus munitis  
 subito occupatis, amicos & ministros  
 Præfulis ex urbe ejiciunt, ipsumque in-  
 solentissime habent. Antea quidem sin-  
 ceræ subjectionis signa dederant, & duo  
 librarum millia obtulerant, si modo eos  
 Archiepiscopus juribus illis, quibus Urbs  
 nunquam non a tempore S. Remigii ga-  
 visa fuisset, deinceps frui sineret. Ad  
 Ludo.

Ludovicum Regem quoque se se con- Sæcul. XII.  
 verterant, ut ipsius patrocínio animum A. C. 1167.

Archiepiscopi, fratris ejus, mitigarent.  
 Sed frustra omnia, ergo Henricum Co-  
 mitem Campaniæ adeunt, eoque con-  
 silium suggerente Regi deditionem fa-  
 ciunt, quem Archiepiscopus ad expu-  
 gnandam civitatem adduxerat. Jussit Rex,  
 pœne invitus, domos quinquaginta di-  
 rui, quæ tamen pœna fratri ejus minor  
 delicto visa est.

Triduo postquam Rex recessisset, red-  
 eunt cives, atque ut illatum sibi dam-  
 num vindicarent, ædes illorum Nobilium,  
 quos Archiepiscopo favere sciebant,  
 nempe Vicedomini, & cujusdam al-  
 terius, olim civitatis Præfecti, diruunt.  
 Tunc Archiepiscopus, Comite Flandriæ  
 advocato cum mille equitibus, Principem  
 impellere nitebatur, ut in cives irruer-  
 et, aut saltem captos in carceres de-  
 truderet. At cum illi fuga adventum  
 hostium antevertissent, ac omnia, quæ  
 usui esse possent, annonamque solertissime  
 abstulissent, Flandris urbem intrantibus  
 vix superfuit, quo una die famem de-  
 pellerent. Et ecce, ipsis insciis Archi-  
 episcopus, pacem cum civibus suis, con-  
 ciliatore Roberto Comite Drocensi fratre  
 suo, iniit, his conditionibus; Cives qua-  
 dringentas quinquaginta Libras Archi-  
 episcopo darent, ad restituendos belli  
 sumtus,

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

sumtus, licet hi mille libris vix satis assu-  
marentur. Et ita exinde Remenses anti-  
quis suis moribus viverent. Post ac-  
cepta probrosæ pacis pacta, Henrico  
nihilominus cum Clericis suis non con-  
veniebat, Ecclesiasque, quamvis ei satis  
facere non recusarent, vexabat. Hæc  
Joannes Saresberiensis referebat.

*Merlot. to. 2.*  
*p. 391.*

*Sup. Lib.*  
*LXVI.*  
*§. 18.*

Ceterum hæc jurgia ex jure civita-  
tum, superius memorato, novissime Re-  
mis invecto, sicut in pluribus aliis urbi-  
bus, ortum traxisse credibile est, Cives-  
que jurisdictionem Archiepiscopi con-  
stringere, suamque in quosdam, olim  
suis privilegiis gaudentes, extendere  
quærebant.

Quod vero ad Clericos spectabat,  
Canonici Remenses querebantur, se ab  
Archiepiscopo suo durissime haberi, qui  
fratrem Regem ad occupanda ipsorum  
Bona, contempta libertate Ecclesiastica,  
excitaret. Ista ex epistolis Alexandri  
Papæ ad Regem & Archiepiscopum datis  
cognoscimus.

§. L

*Manichæi in Flandria & in Burgundia.*

*Duchesne.*  
*to. 4. p. 729.*  
*ep. 458.*  
*Cang. Gloss.*  
*Poplic.*

Henricus Archiepiscopus Remensis in  
Flandria, illa ætate Ecclesiæ suæ  
Metropolitice subjecta, commorans Ma-  
nichæos ibi delitescere deprehendit, quos  
populus Poplicanos seu Publicanos (id  
nominis

nominis a Paulicianis fluxisse creditur) nominabat. Hi virtutis specie simplices fallebant; Archiepiscopo autem sexcentas argenti marcas ea conditione obtulerunt, ne suæ Sectæ homines requirentur; cumque ille insanientes cum sua pecunia repulisset, ad Papam appellarunt.

Sæcul XII.  
A.C. 1167.

Quare Ludovicus Rex ad Sedem Apostolicam datis literis rem detulit, ne Pontifex potestatem Archiepiscopi fratris sui restringeret. Nam hæresis ista in illis regionibus profundas radices egerat, quod tunc memoravimus, cum de Tanchelini erroribus locuti sumus.

Sup. Lib.  
LXVII.  
p. 34.

Sub idem tempus Vizeliaci in Burgundia novem viri, eadem Hæresi infecti, a Guilielmo Abbate detecti sunt, qui eos separari & custodiæ tradi iussit, donec Episcopi alique viri auctoritate præditi ad eos convincendos advenissent. Duobus mensibus in carcere detenti sæpe evocabantur, super fide sua interrogabantur, & modo terrebantur minis, modo lenibus verbis ad fatendum, quod res erat, commonebantur. Tandem vero ab Episcopis, Abbatibus aliisque viris doctis convicti sunt, quod rejicerent tria Sacramenta, videlicet Baptismum parvulorum, Eucharistiam & Matrimonium, aliasque plures sanctas consuetudines, quales erant, Signo Crucis

Hist. Vizel.  
to. 3. Spicil.  
p. 644.

Hist. Eccles. Tom. XVII. Rr omnia

Secul. XII.  
A. C. 1167.

omnia munire, aquam benedictam aspergere, Ecclesias ædificare, decimas & oblationes dare, Monasticum Institutum profiteri, omnes Clericorum & Presbyterorum functiones (\*). Cum Festum Pasche

(\*) Da finden wir wiederum Leute, die von vielen Herren Protestanten als Glaubensväter verehret werden, welche aber damal von der gangen sichtbaren Christenheit, ja auch heut von den Protestanten selbst in den Artikeln von der Taufe der Kinder und von dem Abendmal verabscheuet werden. Es kann auch in der Glaubenslehre einmal nicht bestehen halten unter Christen, welche sich an das Ansehen keiner äußerlichen Richtschnur binden wollen. Wunderlich ist, was Mosheim in seinem allgemeinen Kirchenrechte der Protestanten auf der 339. Seite von ihren symbolischen Büchern daherschreibet. Wir wollen ihn selbst hören. Es ist nur eine einzige Wahrheit des Glaubens und des Lebens; und unser Erlöser will, daß in seiner Gemeinde Einigkeit des Geistes und des Glaubens seyn soll. Diese Einigkeit des Glaubens würde schwerlich erhalten werden, wenn die Vorsteher der Gemeinde die Macht hätten zu lehren was und wie sie wollten. Hieraus folget, daß es gut und nützlich sey gewisse Vorschriften der Dienern des Evangelii zu geben, wonach sie ihre Gemeinden lehren und unterweisen sollen. Diese Vorschriften nennen wir symbolische Bücher .... diese symbolische Bücher aber müssen freywillig

Paschæ haud procul abesset, duoque ex  
his Sectariis formidarent, ne, quod au-  
diverant, ad sustinendam ignis Probatio-

R r 2 nem

Sæculi. XII.  
A.C. 1167.

willig von der Gemeinde angenommen wer-  
den: weil die Grundsätze der christlichen  
Religion keinen Gewissenszwang erlauben.  
Windheim sezet in der Erklärung hinzu: Ueber  
die symbolischen Bücher und über das Jus  
Symbolorum ist seit 50. Jahren scharf gestrit-  
ten worden. Es ist auch in unserer Kirche  
das Ansehen der symbolischen Bücher an vielen  
Orten sehr gefallen. Es giebt ganze christ-  
liche Gemeinden, die keine symbolische Bücher  
haben, oder die wenigstens niemand dieselbe  
anzunehmen verpflichten. So weit Mosheim  
und Windheim.

Da haben wir nun nebst der Heil. Schrift an-  
statt des Ansehens der allgemeinen römischen Kirche,  
welche sie verworfen, einen andern Grund des  
protestantischen Glaubens, nämlich symbolische  
Bücher, ohne welche nach dem Geständnisse des  
Mosheim, die Einigkeit des Glaubens schwerlich  
kann erhalten werden. Also denn gründet sich die  
Einigkeit des protestantischen Glaubens auf etwas  
das willkürlich ist, weil diese symbolischen Bücher  
müssen freiwillig von der Gemeinde angenommen  
werden. Auf Bücher derer Ansehen an vielen  
Orten sehr gefallen, auf Bücher die in einigen  
Orten gar nicht, oder wenigstens nicht verpflichtend  
sind. O Herr Mosheim! Herr Windheim! wie  
zweifelhaftig, wie, unrichtig, wie unchristlich ist  
der

Sæcul. XII. nem compellerentur, finxerunt se ea  
 A.C. 1167. credere, quæ doceret Ecclesia, & ad  
 Probationem aquæ corpora obtulerunt.  
 Ergo deducuntur, procedentibus Clericis  
 & Ministris, maxima populi frequentia,  
 Guiscardo Archiepiscopo Lugdunensi,  
 Bernardo Episcopo Nivernensi, Walterio  
 Episcopo Laudunensi & Guilielmo Ab-  
 bate Vizeliacensi præsentibus. Illi ite-  
 rum interrogati respondent, se credere,  
 quod Ecclesia Catholica crederet, rur-  
 susque se examen aquæ libenter subituros  
 dicunt. Tunc omnes Deo gratias agere,  
 & Abbas ab omnibus quærere: *Quid  
 ergo de illis decernemus, quorum obstina-  
 tio durat?* cui omnes acclamarunt: *com-  
 rantur! comburantur!* Altera die, cum  
 duo illi, qui conversi videbantur, per  
 aquam probarentur, alter innocens alter  
 innocens judicatus est, quem tamen Ab-  
 bas graviore pœna non affecit, nisi quod  
 virgis publice cæsum proscripserit. Ceteri  
 septem flammis traditi sunt, cum age-  
 retur annus Salutis reparatæ millesimus  
 centesimus sexagesimus septimus (\*).

Chron. Vi-  
 zel. to. I.  
 Bibl. Lab.  
 p. 397.

§. LI.

der Grund zu euer Glaubens-Einigheit! Wer  
 soll aber da ein ordentliches Kirchenrecht suchen,  
 wo der Glaube selbst in so mißlichen Umständen  
 sich befindet?

(\*) Præcoci consilio ad supplicium rapti vi-  
 deantur homines isti, cum id auctoritate Friderici  
 Imperatoris

Sæcul. XII.  
A.C. 1167.

## §. LI.

*Imperator se Schisma abjecturum simulat.*

Inter hæc Friderico Imperatori, amissis *xx. ep. 662* copiis, cum etiam Longobardiæ urbes ab ipso defecissent, via qua ex Italia evaderet, non occurrebat. In his angustiis positus aures dedit cuidam Ordinis Cartusienfis viro, sibi olim admodum familiari, qui ipsum exorto Schismate fugerat. Is itaque cum lacrymis Imperatori suggestit, nunquam securam pacem inventurum esse, nisi Ecclesiæ reconciliaretur, ab eoque obtinuit, ut diceret, vocaturum se Priorem Magnæ Domus Cartusienfis, Abbatem Cisterciensem, & Episcopum Papiensem, prius a se depulsum, & promissurum, quod eorum consilia in omnibus amplecti vellet, si modo ipsi in se susciperent reatum violati juramenti, quo se obstrinxisset

R r 3

xisset

Imperatoris aut alterius Principis jure supremo gladii utentis factum non appareat. Sed non adeo obstupescendi est locus, quia Canonum ignorantia laborasse hoc Tribunal ex eo constat, quod Probationem vel per ignem vel per aquam, a Conciliis dudum rejectam, adhuc licite adhiberi posse crediderit.



Sæcul. XII. xisset, nunquam futurum, ut Alexan-  
 A. C. 1168. drum Papam reciperet.

Hoc Friderici propositum, cunctis  
 ad quorum aures devenit, magno gaudio  
 exceptum est, atque Longobardi, hujus  
 Principis conversionem sperantes, miti-  
 gari cœperunt.

Ergo Prior Cartusienſis, Episcopus  
 Papienſis, & Geofridus Episcopus Antio-  
 dorenſis, olim Cistercii Abbas, quem  
 Abbas Cisterciensis, tunc gravi morbo  
 decumbens, miserat, vices suas obitu-  
 rum, itineri se dederunt, præmissis quo-  
 dam viro Religioso, qui locum & tem-  
 pus colloqui ab Imperatore exquireret.  
 Sed cum interim Marchio Montisferrati  
 a Comite Vallis Maurianæ cognato suo,  
 initis conditionibus, obtinuisset, ut Im-  
 peratori in Germaniam redituro transi-  
 tum concederet, ille jam securus re-  
 spondit; frustra ad se venturos esse Præ-  
 fules, nisi Angelum de Cœlo secum ad-  
 ducerent, omnibus conspicuum, aut  
 dono miraculorum, velut leproſos san-  
 nandi, vel mortuos ad vitam revocandi  
 præditi essent. Quibus auditis ad sua  
 reversi sunt. Sic ex Italia effugit Impe-  
 rator mense Martio anno millesimo cen-  
 tesimo sexagesimo octavo, noctu iter fa-  
 ciens, in famuli habitu, usque dum per-  
 agrato Burgundiæ comitatu in Ger-  
 maniam pervenit.

*Cont. Averb.  
 Mor. p. 847.*

§. LII

*Alexandria de paleis conditur.*

Imperatoris fuga Longobardiæ civitati-  
bus, contra ipsum fœderatis, ingen-  
tem in modum animos addidit; nec sa-  
tis eis fuit Mediolanum restaurasse, sed  
novam urbem in provinciæ suæ aditu  
condere statuerunt, quæ primos, si Ger-  
mani ingruerent, hostis assultus armis  
exciperet. Nec segniter quod placue-  
rat, prima die Maji, anno millesimo cen-  
tesimo sexagesimo octavo exsecuti sunt,  
urbemque, ut Summi Pontificis nomi-  
ni honorem haberent, Alexandriam ap-  
pellarunt, quæ primo originis suæ anno  
quindecim millia civium arma geren-  
tium numeravit. Anno sequente Con-  
sules Papam Beneventi commorantem  
adeuntes, ipsi proprietatem urbis suæ  
obtulerunt, eamque Ecclesiæ Romanæ  
vectigalem effecerunt. Ceterum no-  
vellam urbem Cæsarei milites per lusum  
Alexandriam *de paleis* dixerunt; æta-  
tem tamen tulit, & hodie dum inter ur-  
bes Ducatus Mediolanensis non ignobi-  
les visitur.

*At. Alex.*  
*ap. Baron.*  
*Guiliel.*  
*Neubrig. 12.*  
*c. 17.*

Interea Guido Cremensis Antipapa, *II. ep. 60*  
huc usque Romæ ad S. Petrum versatus,  
fato functus est, hoc anno millesimo cen-  
tesimo sexagesimo octavo, vigesima Se-

Sæcul. XII ptembris, postquam annos quatuor &  
 A.C. 1168. menses quinque Paschalis III. Papa a suis  
 dictus fuisset. Sectatores ejus Joannem  
 Chro. Jo. de Abbatem Strumensem, electum Episco-  
 Ceca. Gerv. pum Albanensem, mortuo Guidoni sus-  
 1168. sectum Callistum III. appellarunt, quo  
 Sup. n. 7. nomine annis decem gloriatus est.

## §. LIII.

*Manuel Imperator Nuncios ad Alexandrum Papam mittit.*

Act. ap. Bar. Sub idem tempus, quo Guidonem Cre-  
 an. 1170. mensensem mors abstulit, Legati Ma-  
 Sup. nuelis Imperatoris Constantinopolitani  
 ad Alexandrum Papam perveniunt man-  
 data afferentes illis similia, quibus ante  
 annos ferme duos Nuncios suos instruxerat.  
 Nempe ex Purpuratis Imperii Græcorum  
 aliquis, assumta Apocrypharum dignitate,  
 Beneventi in Alexandri Papæ conspectum  
 prodiit, maximam argenti copiam profudit,  
 & nomine Manuelis Domini sui omnis  
 generis auxilia adversus Fridericum pollicitus,  
 etiam effectuum se promisit, ut Ecclesia  
 Græca Romanæ uniretur, id unum postulans;  
 Papa coronam Imperii Principi suo imponeret.

Alexander Papa, Cardinalibus & Nobilibus  
 Romanis ad consilium adhibitis, respondit:  
*Gratias Imperatori Domino tuo*

tuo dicimus, & benevolentiae ejus argu-  
 menta magno gaudii sensu excipimus.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1168.

Quod vero Romanorum Imperium a no-  
 bis speret & petat, res est gravissimi mo-  
 menti, causa, inquam, difficillima & pe-  
 riculis maximis obnoxia, quam, si ad De-  
 creta Patrum nostrorum respiciamus, mo-  
 veri non posse existimamus. Romani e-  
 nim Pontificis officium postulat, pacis au-  
 ctorem esse, eamque in universa Ecclesia  
 omnibus viribus conservare. Quare A-  
 lexander Apocrysiario Græco, cum omni  
 quam attulerat pecunia, Constantinopo-  
 lim dimisso, duos Cardinales sequi ju-  
 bet, qui Legatione ad Manuelem Impe-  
 ratorem fungerentur.

§. LIV.

*Rugienses convertuntur.*

Eodem anno Alexander Papa Episcopo *Helmold lib.*  
 Roschildensi Insulam Rugiam nuper *11. c. 12.*  
 ad Fidem conversam subjecit. Nam *Saxo lib. 14.*  
 Waldemarus Rex Daniæ Sclavos Rugiæ *p. 287.*  
 Insulæ incolas in suam ditionem reda- *v. Pagi. an.*  
 cturus, conducto milite & classe instru- *1164. n. 13.*  
 ctâ, Arcon urbem, totius Insulæ caput,  
 cujus vestigia hodie non extant, obsede-  
 rat, & statutis conditionibus in potesta-  
 tem suam receperat. Præcipua vero  
 deditiois pacta erant; Rugienses Idolum  
 suum, quod lingua eorum vulgari *Suan-*

R r s                      *tovitk*

**Sæcul. XII.** *tovitb* dicebatur, cum sacro thesauro  
**A.C. 1168.** traderent, Christianos captivos sine pre-  
 tio libertati restituerent, ipsique Religio-  
 nem Christianam susceperent. Quin-  
**Helmold. I.** etiam agros & latifundia, quæ cultui Ido-  
**c. 6.** lorum destinaverant, in usum Ecclesia-  
 rum converterent.

Porro *Suantovitb*, quem Deorum  
 suorum maximum Barbari isti colebant,  
 si prima origo repetatur, nullus alius  
 erat quam S. Vitus Martyr, quem Ec-  
 clesia Catholica die decima quinta Junii  
 honorat; Primi enim, qui Fidem Chri-  
 stianam in Rugiam invexerunt, Mona-  
 chi Corbejenses in Saxonia fuere, & hu-  
 jus S. Martyris Reliquiæ in eorum Mo-  
 nasterium translatae. Postquam ergo  
 iidem monachi, Ludovici Germanici æ-  
 tate, multos Infideles in Rugia conver-  
 tissent, Ecclesiam ibidem sub præsidio  
 S. Viti, Patroni sui, ædificarunt; Insu-  
 lani vero, postea in Idololatriam relapsi,  
 veri Dei immemores, eidem Vitum Mar-  
 tyrem subrogarunt, quem vulgo *Suan-  
 tovitb* dictum primo inter Idola sua lo-  
 co habuerunt. Nempe periculo non  
 vacat, Cultum Sanctorum, eorumque  
 Imaginum, Idololatras præmature doce-  
 re, priusquam cognitione veri Dei soli-  
 de instructi, in eaque confirmati fue-  
 rint.

**Sup. lib.**  
**LVI. §. 17.**

**Sup. Lib.**  
**XLVII.**  
**§. 51.**

*Suant*

*Suantovitb* templum erat in medio Sæcul. XII.  
A.C.1168.  
urbis Arcon, si populi illius barbaries  
spectetur, satis magnificentum. Intus Ido-  
lum erat ea statura, quæ Gigantis vide-  
ri poterat, habebatque capita quatuor,  
ita disposita, ut duobus prospiceret, &  
duobus retrospiceret. Manu dextra  
cornu tenebat, erectum & vario ære  
ornatum, quod Sacerdos singulis annis  
vino implebat, utque infusus liquor mul-  
tum parumve minuebatur, parem illius  
anni sterilitatem vel fertilitatem populo  
præfagiebat.

Ceterum huic Idolo victimæ cade-  
bant animalia, quorum carnibus deinde  
lautissima adornabantur convivium; quin  
etiam homines, sed tantum Christiani,  
Numini nefando immolabantur. Ex  
tota provincia tot afferebantur hostiæ  
& vectigalia, ut major in hujus templi  
Antistite quam in ipso Rege auctoritas  
residere videretur.

Postera die quam urbs Arcona Trans-  
actione in potestatem Waldemari tran-  
siit, misit ille ex Ducibus duos, qui Co-  
lossum comminuerent; solcite vero  
mandarent ministris; ut caute agerent, Saxo. p. 292.  
ne simulacri casu opprimerentur, quod  
haud dubie Barbari Dei sui potentia,  
sacrilegii pœnas expetentis, factum ja-  
staturi

Sæcul. XII.  
A.C. 1168.

Statuiri essent. Simulacrum igitur magno fragore collapsum extra civitatem in Danorum castra pertractum toti exercitui jucundum spectaculum fuit. Sub noctem frustatim concisum & in focos, quibus militi cœna parabatur, missum. Fanum quoque, quod ex ligno erat, igne consumptum. Ex ligneis autem machinis, quas Dani ad usum belli & oppugnandam urbem advexerant, Ecclesia constructa. Præterea undecim aliæ in variis Insulæ locis ædificatæ, & Presbyteri, qui ministrarent, constituti. Ceterum Waldemaro Regi Episcopi duo, qui Principem comitabantur, Absolon Roschildensis & Berno Megalopolitanus in hac expeditione egregiam operam contulerunt. Rugiæ quoque Principis, Jaremari nomine, in convertendis subditis suis eximiæ partes fuerunt, ubi enim ad unius veri Dei cognitionem pervenit, ad recipiendum Baptismum advolans, suos quoque omnes salutari lavacro ablui voluit. Tum vice Apostoli fungens gentem rudem prædicatione excolere cœpit, eamque tum argumentis tum minis ad suscipiendum suave Christi jugum compellere. Quippe ex universa Sclavorum gente soli Rugienses huc usque tenebris Idololatriæ sepulti in Insula sua, exteris impervia, perseveraverant. Ad fidem vero conversi sunt anno millesimo cente-

*Helm. c. 13.*

centesimo sexagesimo octavo, estque hoc factum ultimum, commemoratu dignum, in Chronico de Sclavis, quo illud Helmoldus Presbyter, incipiens a tempore Caroli Magni, perduxit.

Sæcul. XII.

A.C. 1168.

## §. LV.

*Ecclesia Germanicæ.*

Alexander Papa, ubi ex Epistolis Waldemari Regis successum hujus operis & Rugiensium conversionem intellexit, literas ad Absolonem Episcopum Roschildensem dedit, in qua dicit: *Cum modicæ urbi alius Episcopus dari non possit, a Rege & populo rogati sumus, ut tibi in spiritualibus bujus Insulæ Regimen committeremus. Idem etiam Esquilus Archiepiscopus Lundensis & Sacræ Sedis Legatus, Episcopi ac Optimates illius Regni & denique Archiepiscopus Upsaliensis a nobis petierunt. Quare curam bujus Insulæ in spiritualibus in perpetuum tibi tradimus (\*).* Hæc Epistola

(\*) Hic dispicimus, Alexandrum Papam summa auctoritate, rogantibus & consentientibus Episcopis, pæne ultimi Septentrionis Ecclesias rexisse. Porro eadem ferme ratione, qua Ecclesiæ Regimen geritur, etiam ejusdem a Christo accepta Infallibilitas cognoscitur. Hodie

non



Sæcul. XII. stola Beneventi, quarta Novembris anno  
 A.C. 1168. millesimo centesimo sexagesimo octavo  
 data est.

Chron. Alb. Eodem anno, mense Octobri, Hart-  
 Stad. an. wigo Archiepiscopo Bremensi fatis fun-  
 1168. cto,

non nulli Scriptores clarissimi, cum de Fontibus Theologicis agunt, dissimulata in *Quæstione de vera Ecclesia* Infallibilitate, eam deinde in separatis articulis tum Summo Pontifici, etiam prævie ad consensum Ecclesiæ quidquam definienti, tum Concilio universali tribuunt. Sed sicut unica est Infallibilitas a Christo promissa, ita etiam ex pluribus fontibus fluere nequit, nisi ex uno, nempe ex Auctoritate Ecclesiæ Catholicæ seu Episcoporum, cum Capite suo Romano Pontifice sive in, sive extra Concilium universale, conjunctorum; sine qua nec ipsa Sacra Scriptura, nec Traditio in effectu infallibilis dici potest. Si enim totam Historiam Ecclesiasticam pervolvamus, Doctrinam Fidei explicatam & definitam, Hæreses damnatas, extincta schismata, stabilitam Disciplinam, non solum Papæ, nec Episcoporum a Romana Sede separatorum auctoritate, sed utraque conjuncta, inveniemus.

Nec si hodie a sacra Sede Bulla quacunque in causa emanaret, reclamante majore Episcoporum Catholicorum parte, ausim affirmare, quemquam Fidelium sub peccato ad obedientiam obligari, verum potius judicium suum posse suspendere, quoad Deo veritatem certiore infallibilitatis signo manifestare placeret.

cto, hæc Ecclesia duplici electione tur- Sæcul. XII.  
bata est. Pars enim una Sifridum Al- A.C. 1168.  
berti Urſi Marchionis Brandenburgici fi-  
lium, altera Otbertum Decanum elegit. *Hist. Ar-  
chiep. Brem.*  
Verumtamen ambo Electi auctoritate p. 105.  
Ducis Saxonix loco cedere coacti. Cum  
deinde Imperator Curiam Bambergæ  
celebraſſet, utriusque electio irritata, &  
Balduinus Præpoſitus Halberſtadienſis in  
Sedem Bremensem intruſus eſt, volonta-  
te Ducis, cui Bona hujus Eccleſiæ prodit-  
dit. Ordinatus a Schismaticis, accepto  
ab Antipapa Pallio, Archiepiſcopatum  
annis decem occupavit. Sifridus Epi-  
ſcopali Inſula Brandenburgi fulſit.

In Bavaria Conradus Archiepiſcopus *Chron. Ret-  
Salisburgenſis* eodem anno milleſimo *cherſp.*  
centeſimo ſexageſimo octavo, vigesima *an. 1168.*  
octava Septembris, ad cœleſtia translatus  
eſt, poſtquam pro deſenſione Eccleſiæ  
Catholicæ a Friderico Imperatore, Pa-  
truele ſuo, & a Schismaticis multa aſpe-  
ra tuliffet; nam Præful iſte a partibus  
Alexandri Papæ avelli nunquam potue-  
rat (\*). Suffectus eſt ei Albertus ipſius  
Nepos

Illa jam ætate Archipræſules Salisburgenſes  
etiam Principatum terrenum obtinuiſſe cogno-  
ſcimus, ex illis verbis Hiſtoriæ Salisburgenſis  
pag.

Sæcul. XII. A.C. 1168. Nepos Ladislai Regis Bohemiæ filius, communi Clericorum, Virorum Dignitate conspicuorum, populique consensu, Is itaque adhuc dum Diaconus & juvenis in Cathedram Salisburgensem in Festo Omnium Sanctorum solemniter investitur, & anno sequente, millesimo centesimo sexagesimo nono, Presbyter, tumque Archiepiscopus decima quinta Martii in Sabbato quatuor temporum Quadragesimæ ab Udalrico Patriarcha Aquilejensi ordinatur, cui deinde Alexander Papa Pallium misit.

pag. quadringentesima sexta: *Conradus* mox utrisque usus armis, simul impios Ecclesiæ violatores sacro excommunicationis fulmine precelluit, una conductis copiis Fidelium Ministrorum injurias propulsavit.

